PROLEGOMENA CRITICA

AD

HEROIDES OVIDIANAS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM VINDOBONENSIUM ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Heinrich Stefan
HENRICUS STEPHANUS SEDLMAYER.

VINDOBONAE.
APUD C. GEROLDI FILIUM, BIBLIOPOLAM.
MDCCCLXXVIII.

EMANUELI HOFFMANNO

GUILELMO HARTELIO

CAROLO SCHENKELIO

MAGISTRIS OPTIMIS

SACRUM.

VITA.

Natus sum Henricus Stephanus Sedlmayer a. d. VII. Cal. Januarias anni 1856 Brunae in Moravia patre Antonio, scholae publicae ad St. Jacobi directore. puer decem annorum patre iam ante biennium mortuo a. 1866 gymnasium patriae meae frequentare coepi in eoque sub auspiciis directorum Laurentii Kotzaurek, Antonii Krichenbauer, Caroli Schwippel versatus sum usque ad annum 1874, quo anno maturitatis testimonio instructus Vindobonam me contuli et ibi a Magnif. Wahlbergio inter cives academicos relatus sum. in universitate Vindobonensi per sex semestria vacavi studiis philologicis, historicis, philosophicis; per quinque semestria fui sodalis c. r. seminarii philologici.

Restat, ut pio animo commemorem viros illustrissimos plurimumque colendos, quibus per triennium magistris usus sum: Emanuelem Hoffmann, Guilelmum Hartel, Carolum Schenkl, Theodorum Gomperz, Fridericum Mueller, Maximilianum Buedinger, Carolum Tomaschek, Robertum Zimmermann, Franciscum Brentano.

E quibus singulares gratiae praedicandae sunt iis viris optimis, cum quibus mihi licuit arctiorem habere consuetudinem: Guilelmo Hartelio, qui insigni erga me usus benivolentia cum cuiusvis generis consiliis me adiuvit optimis, tum et his studiis Ovidianis quamcunque poterat adtulit opem;

Emanueli Hoffmanno, cuius ingenii splendor admirabilis in plurimis viam mihi monstravit unice veram et plerumque non passus est me errorum circumveniri tenebris;

Carolo Schenkelio, qui quanta est et doctrina et humanitate, per trium annorum spatium plurima in me cumulavit beneficia.

Quibus viris clarissimis et perquam dilectis utinam aliquando possim reddere gratias dignas et magnitudine et multitudine benefactorum, quae ab iis accepi!

PRAEFATIO.

Heroidum Ovidianarum novae editionis criticae prodromus praemittuntur haec Prolegomena de textus historia deque artis criticae in hoc opere exercendae fundamentis. inceptum ipsum non opus esse puto, ut pluribus excusetur: potius de ratione dicendum est, qua hoc inceptum persecutus sim.

Firmis vestigiis textus historia inde a saeculo IX demum ingreditur; priora vero ex parte saltem concludendo licet constituere: qua in re omisi, quae nisi futilibus coniecturis consequi non poteram. perduxi autem hanc enarrationem usque ad id tempus, quo Nasonis carmina primum critice tractari coepta sunt, h. e. usque ad saec. XVI, cuius initio (a. 1502 sq.) prodierunt opera Ovidiana apud Aldum adiunctis Naugerii observationibus criticis. cuius enarrationis rationem institui ita, ut simul quam maxime poterant firma iacerentur critices in Heroidibus factitandae fundamenta. quamobrem cum duplex hac quaestione persequendum esset consilium, auctae sunt difficultates disputandi: ex una parte enim cavendum erat, ne diversa confunderentur; ex altera parte autem, ne disputatio firmiori carens vinculo in diversas partes dilaberetur. vehementer igitur optandum est, ut mihi contigerit et Scyllam evitare et Charybdim.

Fontes huius quaestionis sunt et libri mss. et editiones veteres. utriusque generis fontes quam plurimos quamque accuratissime potui cognoscere studebam contigitque, ut antiquissimorum codicum, Parisini saec. IX, Langobardici (Etonensis) saec. XI, Guelferbytani saec. XII novas compararem collationes. praeterea fragmentum Vindobonense saec. XII fortasse ineuntis et fragmentum Anglimontanum (Engelbergense) saec. XI vel XII, utrumque adhuc ignotum, in usum vocavi. universus autem numerus codicum mss. et editionum veterum, quae adhibui, est XXXXIX; e codicibus ipse integros contuli quindecim, et in his Guelferbytanum saec. XII; ex editionibus Heroidum veteribus, quarum eas tantum tractavi, quae extant in bibliotheca palatina Vindobonensi, duas contuli integras, reliquas excerpsi.

Ceterum spero me gratum fecisse lectoribus, quod fontium descriptionem non ipsis inmiscui disquisitionibus sed uno contentam capite disputationi de textus historia praemisi.

Jam vero gratissimo mihi fungendum est munere gratias agendi quam maximas iis viris praestantissimis, qui operam meam benignissime adiuverunt. fontes autem quaestionis meae mihi benigne suppeditarunt Ernestus Birk, bibliothecae palatinae Vindobonensis praefectus clarissimus; Josephus Haupt, codicum mss. Vindobonensium custos doctissimus; Alfredus Goeldlin de Tiefenau, bibliothecae palatinae scriptor, vir perhumanus et benivolus; V. Hartl, in eadem bibliotheca librorum impressorum sectioni praefectus; Josephus Kaltenleitner, eiusdem sectionis scriptor; rev. Carolus old Goosford, Collegii Beatae Mariae de Etona in Britannia Praepositus illustrissimus et liberalissimus; item universitatis Cantabrigensis bibliothecarius doctissimus; porro praeclari bibliothecae ducalis Guelferbytanae praefecti; Ferdinandus Leithe, bibliothecae universitatis Vindobonensis director; Arminius Hagen, bibliothecarius Bernensis; Alexander Riese, professor Francofurtensis; Josephus Zechmeister, professor Brunensis; Georgius Warner, musei Britannici bibliothecarius; Georgius Goetz, in universitate Lipsiensi privatim docens; rev. P. Hugo Schmidt, bibliothecarius Cremifanensis; rev. P. Mathias Fuerlinger, presbyter capitularis Cremifanensis. — plagulis corrigendis frater optimus Carolus Sedlmayer, cancellariae civicae in suburbio Josephino director, et Hannibal Alexander Bazzanella, c. r. seminarii philologici sodalis, strenuam navarunt operam.

Restat, ut obtester viros doctos quicunque hunc libellum lecturi sunt, ut, si quae in eo displiceant, benigne recordentur non de exercitati cuiusdam scriptoris opere sed de primario iudicandum esse opusculo.

Scripsi Vindobonae a. d. III. Cal. Aug. MDCCCLXXVIII.

PARS PRIOR. DESCRIPTIO CODICUM ET EDITIONUM VETERUM.

Caput I. Libri manuscripti.

§. I. De codicibus Parisinis.

1. Antiquissimus omnium librorum mss., in quibus extant epistulae Ovidianae, est Parisinus n. 8242 (P) saec. IX., cuius collationem accuratissimam debeo promptae humanitati Josephi Zechmeisteri, phil. doctoris et professoris hoc tempore Brunensis, qui dum a. 1877 per aliquot menses Parisiis versatur, eam libri partem, qua continentur epistulae, intercedente magistro optimo Guilelmo Hartelio mea causa excussit. constat liber Parisinus foliis 99, quorum sex prioribus continentur vv. ep. II. 14 — IV. 47; deinde unum folium intercidit (IV. 48—103); folia 7—9 continent vv. ep. IV. 104 — V. 96; post quae interciderunt duo folia (V. 97 — VI. 49); foliis 10—54 continentur vv. ep. VI. 50 — XIX. 175; quae excipiuntur a duobus foliis chartaceis iisque vacuis (foll. 55. 56), in quorum priori recentior manus haec exaravit: *reliqua epistolarum desunt.* fol. 57 incipit a v. Amor. I. 2. 51; fol. 96 desinit in Amor. III. 12. 26; deinde unum folium deest (Am. III. 12. 27 — 14. 2), cuius loco duo folia chartacea et vacua interposita sunt (97. 98); fol. 99 continentur vv. Am. III. 14. 3 — 15. 8. totus igitur liber in duos distribuitur fasciculos (foll. 1—54 et 57—99), quorum prior sex quaterniones et unum quinionem continet. secundus quaternio incipit a fol. 7 (olim 9), tertius a fol. 13 (17), quartus a fol. 21 (25), quintus a fol. 29 (33), sextus a fol. 37 (41); quinio constat foll. 45—54. alter fasciculus quinque continet quaterniones (foll. 57—96) et unum folium (99), quod utrum novi quaternionis an trium tantum foliorum postremo quaternioni

Cod. Parisinus primus. (P)

adnexorum fuerit alterum, in aperto est diiudicari nequire; quaeritur autem, quid sit statuendum de lacuna illa, quae est inter priorem et alterum fasciculum. et Merkelius quidem[1]) incertum reliquit, utrum inter f. 54^v et f. 57^r tria folia solivaga interciderint, an partes diversae amplioris voluminis casu coaluerint. placuit Luciano Muellero prior sententia[2]); de qua suspiciones motae sunt a C. Diltheio[3]), qui promisit se hanc quaestionem forsan alias pertractaturum esse, cui promisso adhuc quod sciam non stetit. ut iam profitear, quid ipse de ea re sentiam, mihi quidem omnino non verisimile videtur inter libri integri quaterniones vel quiniones folia aliquot solivaga inserta esse — aliter enim res se habet in fine librorum, ubi plerumque singula folia adnexa inveniuntur — contra verisimillimum duos fasciculos amplioris voluminis mutili in unum coniunctos esse, quod inde quoque evinci posse videtur, quod liber Parisinus etiam in fronte mutilus est.

Forma foliorum est quadrata minor; numerus versuum in singulis foliis duodetriginta titulis epistularum duorum plerumque versuum spatium explentibus. pentametri subducti. et hae quidem extant a manu prima singularum epistularum inscriptiones et subscriptiones: ep. III: *Fin' ·II· Incipit · III ·* IV: *Expliĉ · III · Incipit · IIII ·* V: *Expliĉ · IIII · Incipit epiŝt · V:* VII: *Expliĉ · VI · Incipit ·VII ·* VIII: *Explicit · VII · Incipit · VIII ·* IX: *Explicit · VIII · Incipit · VIIII ·* X: *Explicit · VIIII · Incipit · X ·* XI: *Expliĉ · X · Incipit · XI ·* XII: *Explicit · XI · Incipit · XII ·* XIII: *Incipit · XIII ·* (inscriptio haec omissa et in margine suppleta est). XIV: *Expliĉ · XII · Incipit · XIII ·* XV: *Expliĉ · XIII · Incipit · XIIII ·* XVI: *Expliĉ · XIIII · Incipit · XV* XVII: *Expliĉ · XV · Incipit · XVI ·* XVIII: nulla invenitur inscriptio XIX: *Explicit · XVI · Incipit · VII ·* (sic). vides igitur librarium confecto demum libro exarasse titulos: quo factum est, ut omitteret epistulam

---

1) Praef. ad vol. I. p. III.

2) De re metrica p. 43 sq.

3) De Callimachi Cydippa (Lipsiae 1863) p. 133.

XIII eiusque titulum ep. XIV adponeret et sic deinceps usque ad epistulam XVIII, qua item praetermissa epistulae XIX adscripsit titulum ep. XVII, in quo exarando numerum X omisit. et hi quidem tituli a manu prima litteris scripti sunt minusculis; falso eos Merkelius (l. c.) maiusculis exprimi iussit. ad quos accesserunt saeculo XII. nomina herоum et heroidum[4]) litteris scripta maiusculis et ita quidem: ep. III: BRISEIS ACHILLI. — IV: PHEDRA YPOLITO. — V: OENONE PARIDI. — VII: DIDO AENEAE. — VIII: HERMIONE HORESTO. — IX: DEIANIRA HERCVLI. — X: ARRIAÑE THESEO. — XI: CANACE MACHAREO. — XII: MEDEA IASONI. — XIII: LAODAMIA PROTESILAO. — XIV: HYPERMESTRA LŸNO. — XV: PARIS HELENAE. — XVI: HELENA PARIDI. — XVII: LEANDER HERO. — XVIII: HERO LEANRO. — XIX: ACONTIVS CYDYPPAE.

Hoc saeculo liber accuratissime tractatus est a correctore quodam, qui scripturam primitivam plus quingentis locis tentavit ita, ut scribendi errores corrigeret fere omnes, alias scripturas aut inter lineas adscriberet aut primariis erasis reponeret in textu[5]), versus et verba a m. 1. omissa adderet, denique hic illic adnotaret lectiones varias sed hoc quidem raro: longe plures enim quae extant in P scripturae variae, a m. 1. adscriptae sunt.

Ex epistulis desunt in P ut in libris plerisque vv. ep. II. 18. 19; XV. 39—142[6]); defuerunt libro integro etiam vv. ep. XX. 13—248.

---

[4]) Recentiorem manum vel inde cognosci licet, quod nomina illa, quae in Parisini ipsius textu integra extant, in titulis iisdem quibus in recentioribus libris deturpata sunt vitiis.

[5]) Scriptura manus primae his locis erasa est: III. 57; VI. 103. 137; VII. 78. 150; VIII. 5. 63; IX. 49. 52. 108. 126. 139. 155. 159. 160; XI. 34. 61. 92. 127; XII. 4. 16. 17. 29. 34. 51. 212; XIII. 133; XIV. 62. 123; XV. 117; XVII. 135; XIX. 101. 161.

[6]) Sciendum horum ep. XV. versuum numeros, ubicunque per huius disputationis spatium commemorantur, pertinere ad editiones ante Riesianam omnes; ceteris locis omnibus versuum numeri sunt editionis Riesianae.

Ex reliquis libris Parisinis, qui Heroidas exhibent, duo et hi quidem ex parte tantum mihi innotuerunt, scilicet quos Diltheius adhibuit in usum editionis epistularum XIX. XX. descripsit autem vir doctus hos libros hunc in modum[7]:

d. Parisi- s secundus (P_2) 2. *Parisinus 7994 olim Mentelianus saec. XIII. epistulae XX* (XIX) *desiderantur versus 1—15 folio uno (23) intercepto. post v. 12 epistulae XXI* (XX) *subscriptum est: Explicit Ovidius epistolarum Incipit matia eiusdem.* desinit hic liber in ep. XX. v. 12. varias lectiones ab Holdero enotatas ex Dilthei editione deprompsi.

d. Parisi- s tertius (P_3) 3. *Parisinus 7997* (*Mazarineus*) *membranaceus saeculi XV exeuntis vel XVI foliis constans 195. continentur Ovidii „epistolarum libri III"* (*sic*) *amores Ibis Sapphus epistola ars amandi et remedia. — desinit in v. 144 epistulae Cydippae cum subscriptione: P. Ovidii Nasonis epistolarum liber finit. is codex vix dubito quin sit Sarravianus Heinsii, quamquam variae lectiones ex Sarraviano ab illo allatae identidem discrepant. sed videtur hic quoque interdum diversa confudisse.*

Doleo ex hoc libro mihi non plus 144 versus ep. XX innotuisse ab Holdero in Dilthei usum enotatos.

§. 2. De „codice Langobardico" et de „membranis veteribus" auctoris Electorum usui scholae Etonensis.

Horum codicum paene mythicorum quam maxime laetor mihi non solum descriptionem sed antiquioris codicis etiam collationem suppetere accuratissimam. quorum librorum ex Ovidii editoribus primus mentionem fecit Petrus Burmannus. in Addendis enim ad Ovidii editionem (tom. IV. p. 241 sqq.) nonnulla dedit excerpta ex libro quodam, quem appellavit *Electa Etonensia.* eundem librum ad Phaedr. IV. 18. 4 commemoratum vir doctus appellat *Electa usui scholae Etonensis.* cuius libri auctor ad ep. I. 1. apud Burmannum haec dicit: *Membranae Langobardicae, quibus Remedia amoris cum septem epistolis habentur: nil mihi* ..... etc. idem paulo post ad v. 16: *Doloris habet idem ille liber*

---

[7]) L. c. p. 135.

Langobardicus nongentorum fere, ut videtur, annorum. ad v. 33 commemorantur *membranae alterae annis abhinc, ut videtur, fere quadringentis e libro iam tum pervetusto descriptae, quippe cuius erosas versuum clausulas lacunis suis aliquotiens exprimant.*

Hae exiguae de codicibus illis notitiae paene oblivioni mandatae erant, donec Lucianus Muellerus earum fecit mentionem Mus. Rhen. XVII. pag. 523. cumque hos libros a magistro quodam Etonensi tractatos verisimillimum mihi videretur adservari in ipsa bibliotheca Etonensi, Rev. Carolum old Goosford, Collegii Regalis Beatae Mariae de Etona Praepositum, per litteras adii quaesivique de libris illis; quamque iam proferam eorum descriptionem, eam gratissimo animo profiteor me debere promptissimae liberalitati viri illius reverendissimi et doctissimi, qui non solum per litteras me certiorem fecit libros a me quaesitos adhuc extare Etonae, sed exigua mora interposita bibliothecarium doctissimum Universitatis Cantabrigensis ultro rogavit, ut codices illos in meum usum describeret simulque duas paginas codicis Langobardici photographice exprimendas curavit mihique et descriptionem accuratissimam et specimina photographica benignissime transmisit.

Iam ad hos libros describendos accedamus.

1. Codex Etonensis prior (Langobardicus; Bl. 6. 5.) membranaceus quatuor constat fasciculis; numerus foliorum 81, forma quadrata minor, numerus versuum in singulis paginis 29. hic liber non, ut auctor Electorum Etonensium voluit, saec. IX. sed saec. XI. exaratus est, quod primus animadvertit bibliothecarius ille Cantabrigensis; tum et ipse cognovi, cum specimina libri photographica accurate conferrem cum tabulis photolithographicis catalogo bibliothecae Casinensis insertis — et eorum quidem codicum, quorum aetatem librarii ipsi indicaverunt — et nuper testatus est vir doctissimus et liberalissimus Georgius Warnerus Londinensis, qui librum in meum usum Etonae summa cum accuratione contulit. quem ex titulo italico *Ovidio* colligendum videtur fuisse in numero eorum codicum,

Cod. Etonensis prior (E)

qui ab Henrico Wotton ex Italia Etonam translati sunt; saec. XVII. autem iam adservabatur Etonae: commemoratur enim in Catalogis manuscriptorum Angliae et Hiberniae (Oxon. 1696—1697.) vol. II. n. 1899, ubi haec leguntur: *Ovidii, Statii, Aratoris carmina quaedam. Charactere Langobardico. 4to.*

Secundum indicem exhibitorum hoc codice nobis haec servata sunt scriptorum latinorum opera:

1. Theoduli carmina (fol. 1r—6v).
2. Cornelius Gallus (fol. 6v—18v).
3. Statii Achilleis (fol. 18v—37v).
4. Ovidii Remedia amoris (fol. 37v—52r).
5. Ovidii Heroides (fol. 52r—70v).
6. Aratoris carmina (fol. 70v—81v).

Inter Theoduli et „Cornelii Galli" carmina hoc scriptum est: BAXLE·; DAMA·; IACN·VSNANSA· (E) quae in indice Cornelii Galli carmina dicuntur, ea nequaquam huius poetae carmina sunt Virgilii amicissimi, sed ut ex specimine codicis photographico intellexi, Maximiani elegiae, quas notum est olim Cornelio Gallo tribui consuevisse.

Ex Heroidum epistulis omissis ut in P vv. ep. II. 18. 19 non plus quam I — VI et VII vv. 1 — 157 supersunt. hunc versum excipiunt Aratoris carmina inscripta: *Dnō scō in xpı gr̄a spālıt̄ erudito floriano abbti arator subdiaconus.*

d. Etonen- posterior (η) 2. Codex Etonensis posterior (Bl. 4. 12.) foliis constat 170 membranaceis, quae binas columnas exhibent versuum quinquagenorum. hic liber in Britannia ipsa scriptus videtur saec. XIII vel ineunte XIV; fuit saec. XV inter codices Collegii Winchestriani (*Liber Collegii Beate Marie propre Winton*); anno 1650 possedit eum vir quidam Batavus Barth van Wouw, anno 1682 autem Joannes Savage; collegio Etonensi donatus videtur a. 1695; in catalogis supra commemoratis nondum commemoratur.

Quae hoc codice continentur, in prima plagula indicata sunt tabula hacce:

Libri Ouidii:

Heroydum siue Eplarum
Sine titulo [Amores]
De arte amandi
De remedio amoris
De Nuce
De Sompnio
[Rosa Ausonii]
De Pulice
De Cuculo
De Fastis
Methamorphoseos
De Tristibus
De Ponto
De mirabilibus Mundi

Hunc librum in disputatione mea non in usum vocavi.

§. 3. De schedis Anglimontanis saec. XI vel XII.

Schedae Anglimontanae saec. XI—XII ante hos fere octo annos in monasterio Anglimontano (Engelberg) in Helvetia inventae sunt ab Arminio Hageno. qui vir humanissimus huius fragmenti collationem ultro mecum communicavit, cum ab eo peterem, ut codicem Bernensem n. 512 aliquot locis mea causa inspiceret. descripsit autem schedas hunc in modum: Schedae Anglimontanae (A)

Schedae Engelbergenses (Anglimontanae) saec. XI—XII, folia duo inter se cohaerentia (tricenorum septenorum quaeque pagina versuum) continent Ovidii Heroidum XVIII. vv. 144—210, XIX. 1—6 (= fol. 1); vv. 155—228 (= fol. 2.). est tertius alicuius quaternionis unio ita, ut inter foll. 1 et 2 duo unionis intimi folia interciderint. magna versuum pars ob putredinem legi iam nequit. ea pars, quae vv. XIX. 155—192 continet, fere tota legi nequit.

Ep. XIX, cuius extat initium, nullam exhibet inscriptionem.

§. 4. De schedis Vindobonensibus saec. XII et de codicibus Vindobonensibus.

Schedae Vindobonenses (V)

1. Schedae Vindobonenses Heroidum fragmenta exhibentes non ultimum locum obtinent inter pleraque illa codicum antiquorum fragmenta, quae indagavit vir acerrimi ingenii atque indefessae industriae Josephus Hauptius, codicum mss. bibliothecae palatinae Vindobonensis custos doctissimus. ex quibus adhuc pauca innotuerunt: velut quae nuper edidit veteris ante-hieronymianae versionis libri II. regum fragmenta (X. 18 — XI. 17; XIV. 17—30). maior pars eorum in bibliothecae palatinae scriniis abscondita latet. in quorum numero fuerunt usque ad annum 1876 hae schedae, quo anno primus accuratius in eas inquirere coepit magister dilectissimus Emanuel Hoffmann, qui cum variis negotiis occupatus mox proposito suo desistere coactus esset, mihi permisit, ut quaestionem de iis pertractarem itaque auctor mihi extitit quaestionis huius de Heroidum textus historia instituendae.

Invenit has schedas Hauptius in involucro libri cuiusdam, qui cum multis aliis e bibliotheca monasterii P. P. Benedictinorum Lunaelacensis a Josepho II. sublati Vindobonam translatus erat. quamquam octo tantum extant folia tota et tria dimidiata, omnia vero glutine illita, recisa in marginibus, rimis perforata innumeris, tamen hae membranae ob ipsam vetustatem dignae sunt, quae accuratius tractentur. ex Hauptii enim et Caroli Schenkelii, magistri optimi, sententia saec. XII tribuendae sunt.

Extant autem his schedis Heroidum partes hae:

fol. 1^r	col. 1:	X. 14—52	
	col. 2:	56—93	
fol. 1^v	col. 1:	97—134	
	col. 2:	137 — XI. 25	
fol. 2^r	col. 1:	XI. 26—66.	
	col. 2:	}	abscissae (vv. 67—106 extant initia)
fol. 2^v	col. 1:	}	
	col. 2:	XII. 20—59	
fol. 3^r	col. 1:	60—100	

	col. 2:	abscissae
fol. 3ᵛ	col. 1:	abscissae
	col. 2:	182 — XIII. 10
fol. 4ʳ	col. 1:	XIII. 11—52
	col. 2:	53—94
fol. 4ᵛ	col. 1:	95—136
	col. 2:	137 — XIV. 13
fol. 5ʳ	col. 1:	XIV. 14—55
	col. 2:	56—100
fol. 5ᵛ	col. 1:	101 — XV. 7
	col. 2:	XV. 8—48
fol. 6ʳ	col. 1:	52—89 (abscissa versuum initia)
	col. 2:	93—130
fol. 6ᵛ	col. 1:	134—170
	col. 2:	173—213
fol. 7ʳ	col. 1:	abscissa
	col. 2:	262 — XVI. 25
fol. 7ᵛ	col. 1:	XVI. 31—66 (abscissa vv. initia)
	col. 2:	abscissa
fol. 8ʳ	col. 1:	112—148
	col. 2:	153—189
fol. 8ᵛ	col. 1:	194—230
	col. 2:	235 — XVII. 4 (abscissi versuum exitus)
fol. 9ʳ	col. 1:	XVII. 169—208
	col. 2:	209 — XVIII. 31
fol. 9ᵛ	col. 1:	32—72 (abscissa initia)
	col. 2:	XVIII. 73—113
fol. 10ʳ	col. 1:	114—153
	col. 2:	154—193
fol. 10ᵛ	col. 1:	194 — XIX. 23 (absc. initia)
	col. 2:	XIX. 24—64
fol. 11ʳ	col. 1:	66—104
	col. 2:	106—144
fol. 11ᵛ	col. 1:	146—184
	col. 2:	186—224.

folium sextum optime omnium conservatum est. reliqua maximam partem oblitterata sunt, ut nonnisi difficillime legi

possint. primae cuiusque epistulae litterae rubro colore pictae fuerant, quae tamen plane evanuerunt, item inscriptio ep. XIII: LAODAMIA PROTESILAO, qui solus extat titulus: reliquae epistulae, quarum servata sunt initia (XI. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.), non inscriptae et excepta ep. XIX ne intervallis quidem a superioribus diremtae sunt. inter lineas et in margine adscripta sunt scholia plurima a m. 2. eiusdem saeculi, quae ad aliud quoddam exemplar accomodata sunt; persaepe enim in iis alia explicatur lectio atque in textu exhibita est[8]).

Omittit V vv. ep. XV. 39—142.

Cod. Vind. I (v_1) 2. Codex Vindobonensis primus (n. 306; Endl. CL.) est membranaceus formae quadratae minoris saec. XIV. constans fol. 50, quorum primum plane oblitteratum est; altero continetur fragmentum tractatus scholastici (conf. tab. codd. mss. I. p. 42), foll. 3^v—27^r Heroides, reliquis epistulae ex Ponto. septuaginta versus in quaque pagina divisi in duas columnas. scriptura minutissima et compendiis abundans. inscriptio a m. 1. nulla; quae a rec. manu scripta fuerat, maximam partem evanuit. subscripsit man.

---

[8]) XV. 99. *armis Menelaus et annis* V. *maritus tuus Menelaus non maior erit natu, forma et annis* Schol. (explicat schol. lectionem vulg. *forma et annis*).

XVI. 126. *Venus est insidiosa mihi* V. *quia una pulchra invidet alteri.* Schol. (explicatur lectio *invidiosa*).

XVI. 220. *terra procul vultus* etc. V. *et ne hoc fiat precor.* Schol. (explicatur lectio vulg. *terra precor*).

Speciminis causa adponatur scholium ad XV. 101:

XV. 101. *Aegisthus concubuit cum uxore fratris sui Atrei et peperit ex ea filium, quem frater cognita scelere dedit ei epulandum. Quod videns sol retrahens nitorum suum . . . . Pelops, pater Atrei, interfecit socerum suum Enumaum, quando filiam suam dolo convicerat. Hippodamiam per hoc* (?) *mul. . . . . deprimit eum. — Tantalus cum omnes deos d*[easque] *invitaret, dedit eis filium Pelopem epulandum, ut sic probaret, si veri dii essent. Quod ipsi sentientes spreverunt escam praeter Cererem, quae fame constricta dextrum consumpsit armum, quem postea d*[ii] *commiserantes per eburneum restituerunt. Inde adhuc pater* (?) *patitur poenam apud inferos, quod* (?) *aqua semper praeterit eum sitientem. . . . . . gustat . . . . et mala ante oculos* (?) *pendentia sunt.*

1: *Explicit liber Heroidum.* singulae epistulae neque inscriptae neque intervallis a superioribus diremptae sunt. desunt II. 18. 19. XV. 39—142. XX. 13—248.

3. Codex Vindobonensis secundus (n. 102; Endl. Cod. Vind. II. (v_2) CXLVIII) saec. XV est membranaceus formae maximae. foliis constans 543 praeter Heroides etiam Amores, Artem, Remedia, Fastos, libros Tristium, epistulas ex Ponto, Ibin, Medicamina faciei, Pulicem, Philomelam continet. scriptus est elegantissime; initiales singulorum operum picturis ornatae. inscriptio Heroidum extat haec: P. NASONIS OVIDII AEPISTOLARVM LIBER PRIMVS. subscriptio haec legitur: *P. Ouidii Nasonis eplarum Liber explicit.* desunt ex epp. II. XV. XX. quae in plerisque libris.

4. Codex Vindobonensis tertius (n. 13685) saec. Cod. Vindob. III (v_3) XV constat 430 foliis chartaceis formae 8 minoris; praeter Heroides epistulas ex Ponto, Remedia, Anulum, Cuculum, Pulicem, Statii Achilleida, Horatii epistularum libros II, Artem poeticam, alia continet (conf. tab. VII. 248 sq.) inscriptio nulla invenitur; subscriptio haec: *finis hg ouidii in heroido sit laus trino qui vivit et uno et est pronuntiatus per honestum bacc·* [alaureum?] *Stanislaum sub anno incarnationis domini 1411 et est finitus per me Jacobum ·B· de brûna Et est finitus 3 kalendas Julii.* singulae epistulae non inscriptae sunt neque a superioribus diremtae, nisi ubi novus liber incipit. Heroides enim in hoc codice in libros partitae sunt (lib. I. = I—V; lib. II. = VI—XIV; lib. III. = XV—XX.) primus liber non inscriptus est; alter ita: *Liber secundus;* tertius ita: *Liber tertius heroidum.* inde a tertio libro librarius alio usus est atramento et quidem pallidiore.

5. Codex Vindobonensis quartus (n. 3117; Endl. Cod. Vindob. IV (v_4). CLIII.) s. XV. folia continet 79 chartacea formae maximae, quorum 1—62 Heroides, reliquis Virgilii Georgicon libri I—II exarata sunt. Ovidiani operis in hoc codice neque inscriptio extat neque subscriptio; ex singulis epistulis a m. 2. inscriptae sunt II. V—XII ita: *2. epla; Quinta epla* etc. hic liber, in quo desunt quae in v_3, in eorum numero est, qui servarunt argumenta Heroidum metrica, de quibus *infra accuratior instituetur* quaestio.

Cod. Vindob. V (v_4). 6. Codex Vindobonensis quintus (n. 210; Endl. CLI) membranaceus saec. XV. formae 4 maioris exhibet Heroides et Complanctum Phaedrae de recessu Hippolyti fugientis ad silvas, centonem Ovidianum, quem editum vide in calce huius libelli. auctor eius est Petrus quidam de Lunesana. Heroides non inscriptae sunt; subscriptio autem reperitur haec: *Explicit Ouidius Heroidum.* e singulis inscriptae sunt I—III nominibus heroidum et heroum. primum folium picturis ornatum, totus liber elegantissime scriptus et optime servatus est.

Cod. Vindob. VI (v_6). 7. Codex Vindobonensis sextus (n. 3198) saec. XV constat foliis 205 formae 4 min. chartaceis. exhibet inter plura variorum auctorum opera (conf. tab. II. p. 229) a diversis manibus scripta epistulas IX et XX; epistulae IX a m. 2. inscriptum est: *conqstio deianirę*; epistulae XX a m. 1. hoc: CIDIPPE · ACONTIO · HEROIDVM · OVIDII · VLTIMA · EPISTOLA · RECENS · REPERTA · subscriptione utraque epistula caret.

Cod. Vindob. VII (v_7). 8. Codex Vindobonensis septimus (n. 3120; Endl. XII) saec. XV foliis constat chartaceis formae 4 minoris 210. continet septem varia opera (conf. tab. II. p. 233), quorum ultimum locum obtinent Heroidum excerpta, quibus inscriptum est: *Ouidius eplarum.*

9. Duo reliqui libri Vindobonenses non Heroides ipsas sed solam epistulam Sapphus (olim Her. XV.) exhibent.

Cod. Vindob. VIII (v_8). α) Codex Vindobonensis octavus (n. 3111; Endl. CXLVIII.) chartaceus est saec. XV. constans foliis 259 formae maximae. continentur eo novem varia variorum scriptorum opera (conf. tab. II. p. 199), in quibus sunt Ars, Remedia amoris, Fasti instructa notis et interlinearibus et marginalibus Ioannis Cuspiniani, cuius etiam index in Fastos extat fol. 243r—247v. inter hunc indicem et carmina Petri Boponis, quae ultimum obtinent locum, inserta est epistula Sapphus, cui subscriptum est: *Finis Saphus Ouidii.*

Cod. Vindob. IX (v_9). β) Codex Vindobonensis nonus (n. 3160) partim membranaceus, partim chartaceus est saec. XV constans foliis 268 formae maximae. continet varia opera quinquaginta tria, quorum titulos vide tab. II. p. 217 sqq. Sap-

phus epistula inserta est inter Servii in Virgilium commentariorum fragmenta et epistulam Ioannis Pegoloti ad Ioannem Dominicum Cardinalem de schismate. inscriptio legitur nulla; subscriptio autem haec: *Explicit Epistola Saphos poetisse mutilene.*

§. 5. De codicibus Guelferbytanis.

1. Codex Guelferbytanus primus (mst. extrav. 260). hunc librum intercedente c. r. ministerio rerum sacrarum atque eruditionis publicae ab illustrissimo bibliothecae Guelferbytanae praefecto cum duobus aliis huc transmissum in c. r. universitatis bibliotheca ut per duos menses tractarem benigne permisit vir humanissimus Ferdinandus Leithe, huius bibliothecae director. constat hic codex, qui est saec. XII, foliis 41 membranaceis formae octavae et ita quidem, ut quinque quaternionibus adnexum sit unum folium solivagum. litterarnm ductus non ubique sibi constant: crassi enim sunt in duobus quaternionibus prioribus (fol. 1—16); inde a tertio quaternione minores magisque tenues; in fol. 18^r iterum crassiores neque tamen ita ut in fol. 1—16; quam speciem prae se ferunt usque ad fol. 25^r, inde a quo folio — incipit ab eodem quaternio quintus — usque ad ultimum scriptura tenuis est ac nitida. cum tamen non adeo inter se discrepent litterarum ductus, ut librum a duobus scribis confectum esse verisimile sit, adparet librarium aliquotiens calamum mutasse. pentametri non subducti sunt neque inscriptio totius operis invenitur neque subscriptio. nec singulae epistulae inscriptae sunt a manu prima sed spatium vacuum relictum, in quo rubricator exaravit titulos, quorum nunc quidem exiguae tantum extant reliquiae velut ep. XI: CANACE FILIA EOLI MACAREO Frī ſuo. sciendum enim librum madore tanto opere adflictum esse, ut plerisque locis scriptura tota fere evanuerit idque in primis in foliorum 26^r—32^v partibus inferioribus. plane fere evanuerunt vv. ep. XVI. 85—96. 125—138. 174—180. in folio 32^v superiori (= XVI. 181—204) alterae singulorum versuum partes, quae dextrum spectant marginem, in inferiori (= 205—222) toti versus oblitterati sunt. in

Cod. Guelferbytanus I. (G).

fol. 33[r] scriptura inde a v. 247 usque ad v. 264, qui est ultimus huius folii, maximam partem deleta est atque in primis in inferiori pagina vix quidquam legi potest praeter glossas aliquot. in fol. 33[v] (= XVI. 265 — XVII. 37) nihil fere legi potest; item in fol. 34[v] (XVII. 80 — 121) et in fol. 36[v] (XVIII. 29 — 70). in fol. 40[r] summo abscissi vv. XIX. 113—114; fol. 40[v] superior pars (155 — 173) plane oblitterata. desinit hoc folium in v. 194. fol. 41 denique oblique recisum ob eamque causam in fol.[r] textus inde a v. XIX. 206 demum servatus est et ita quidem, ut versuum 206—213 priores tantum partes supersint. in fol. 41[v] nil nisi versuum ep. XX. 9 — 12 exiguae extant reliquiae. desinit hic liber in v. ep. XX. 12 (desiderantur etiam II. 18. 19; XV. 39—142); in reliquo folio 41 quae a manu saec. fortasse XIV. exarata sunt, omnino evanuerunt. super his autem a manu saec. XV scriptum est: *hic non est totus liber hic* (an *inc?*) *quod sic* (an *sit?*) *inarum* (?)....

Diligenter librum nostrum tractavit manus altera s. XIII, quae omnes fere levioris generis errores sustulit, glossas et varias lectiones adscripsit quam plurimas, lacunas a m. 1. relictas explevit. aliquot locis enim, ubi in huius codicis archetypo scriptura haud dubie oblitterata erat, a librario spatia vacua relicta sunt, in quibus m. 2. quae deerant addidit. sunt autem a m. 2. addita haec: VIII. 40. *advena] ad* m. 1, *vena* m. 2; v. 57. totus; 68. *ypodamia rotis;* v. 69 totus; IX. 13. *pacatum;* 17. *te laturum est celum prius ipse tulisti;* 50. *ormeni;* 51. *teuthancia;* XV. 71. *beatior] or* m. 2; v. XIX. 112 totus. praeterea in ep. X. vv. 1 — 2, qui a m. 1 post v. 6 collocati sunt, a m. 2 scripti sunt in spatio vacuo, quod titulo inscribendo relictum erat. denique textus inde ab ep. XIX. 195 usque ad finem totus a m. 2 scriptus est. praeter manum secundam etiam tertia cognosci postest, quae magis in glossis adscribendis quam in textu corrigendo versata esse videtur. paucis tantum locis atque in primis iis, ubi scriptura umore adflicta est, dubitari potest, num m. 3 etiam textum correxerit. accedit denique manus quarta saec. XV, quam supra diximus adnotasse quaedam in calce libri: eadem manus ad

XV. 184 in margine adscripsit *pax est cum specie nulla pudicicie* et in posterioribus foliis, in quibus scriptura madore deleta est, aliquot verba et syllabas denuo exaravit.

2. Codex Guelferbytanus secundus (Gud. 161) Cod. Guelferbytanus II. (g1)
membranaceus saec. XIII formae quadratae constat foliis 52, quibus nihil praeter Heroides continetur, e quibus II. 18. 19. XV. 39—142. XX. 13—248 desunt. scriptura est elegantissima et ubique integra servata. primum folium picturis ornatum, item singularum epistularum litterae initiales. inscriptio haec invenitur: *Incipit ouidius epłar.* sub-
l
scriptio haec: *Exp icit ouidius epl'ar. Deo grās · Amen ·* singulae epistulae heroum et heroidum nominibus inscriptae sunt. priora aliquot folia accuratius tractavit manus altera, quae plerisque locis scriptura primitiva exsculpta aliam intrusit. in posterioribus foliis tales correcturae fere plane desunt.

Codicem Vindobonam transmissum ipse contuli. Cod. Guelferbytanus III. (g2)

3. Codex Guelferbytanus tertius (Helmestad. 336) s. XV foliis constat 165 chartaceis formae maximae. continet autem praeter Heroides etiam Artem, Remedia, Medicamina faciei, Antonii Panormitani Hermaphroditum, epistulam Guarini in laudem Antonii Panormitani, epistulam Poggii ad eundem Antonium, denique carmina Priapeia usque ad c. 84 (c. 82 deest). ex Heroidum epistulis etiam in hoc libro quae in plerisque desiderantur. inscriptum est in fronte libri *heroidum liber*, subscriptum videtur nomen librarii. singulae epistulae non inscriptae sunt praeter ep. XI (*Canace eoli filia machareo*). praemittuntur autem epistulis argumenta illa metrica, de quibus supra diximus. descriptum esse hunc librum ex archetypo, qui in unaquaque pagina 27 vel 28 versus exhibebat, inde concluditur, quod vv. XIX. 175—229 omissi sunt. praeter manum, quae textum scripsit, facile tres aliae cognoscuntur, quae et correxerunt pleraque et glossas adscripserunt.

Collationem huius libri minus accuratam olim edidit Wideburg[9]); novam ipse Vindobonae confeci.

---

[9]) Lectionem variarum in Ovidii Heroidas e codice Helmestadiensi specc. I. II. Helmest. 1779.

Cod. Guelferbytanus IV. (g_3) 4. Codex Guelferbytanus quartus (Gud. 297) est membranaceus s. XV. in quo describendo Iac. Frid. Heusingerum sequor[10]), cuius etiam collatione usus sum. scriptum esse hunc librum in Italia colligendum videtur ex epigrammate hoc: *Viro Incomparabili Domino Dominico Molino Senatori Veneto. Quas tibi sacramus veteres Heroidas, Heros, Ne nimis a curis distineare, lege. Scilicet Heroas vincis virtutibus, at non Heroum vitiis, dum legis haec, caperis. Balthasar Bonifacius Tarvisii XIII. Cal. Sext. 1663.* de inscriptione Heroidum Heusingerus nihil commemorat; subscriptio haec invenitur: P. O. N. LIBER EPISTOLARVM ·IIII· EXPLICIT, quae non minus est memorabilis, quam ea quae post ep. X. legitur: *Explic. Incipit III. Canace Macareo liber II.* ad utramque infra redibit sermo. omittit hic liber, qui membranarum candore, munditia scripturae, initialium auratarum splendore insigniter nitere dicitur, vv. epp. II. 18. 19. XV. 39—142; epistulae XX vero vv. 1—144 exhibet.

Cod. Guelferbytanus V. (g_4) 5. Codex Guelferbytanus quintus in chartis a. 1466 scriptus ex auctione librorum Scriverii in bibliothecam Guelferbytanam pervenit et cum casu factum esset, ut non inscriberetur a bibliothecariis, ad viles chartas reiectus in angulo quodam latuit per longam annorum seriem, donec circa annum 1774 a Lessingio repertus et ad Heusingerum transmissus est, cuius et descriptione usus sum et collatione. est igitur codex idem, qui ab Heinsio et Burmanno Scriverianus vel chartaceus Scriverii appellatur. continet autem praeter Heroidas epistularum Phalaridis versionem latinam a Leonardo Aretino confectam partim collatam cum editione quadam impressa anno 1607 vetustiori, epistulam Sapphus (*Epistola saphos ad phaonem amatum suum incipit*), Amores, epistulam Antonii Panormitani ad Lamolam. ultimum locum obtinent Heroides ita inscriptae:

---

[10]) Heroidum Ovidianarum emendationes Guelpherbytanae ad Harlesium, V. C. in G. E. Lessingii „Zur Geschichte und Litteratur. Aus den Schätzen der herzogl. Bibliothek zu Wolfenbüttel". Dritter Beitrag. (Brunsvig. 1774.) p. 1—112.

Liber epistolarum heroidum Ovidii Nasonis. extremo codici adiuncta est confabulatio quaedam Orestis cum Pylade ab alia manu eiusdem saeculi scripta. desunt ex epistulis quae in libris plerisque.

6. Reliqui codices Guelferbytani, qui iam describentur, non Heroidas ipsas sed Sapphus epistulam continent.

α) Codex Guelferbytanus sextus (Gud. 318) s. XV continet Fastos et Amores, quibus adnexa est ep. Sapphus sic inscripta: SAPHO VATES CLARISSIMA AD SVVM PHAONEM. praecedunt autem disticha haec: *Tantum omnes nobis doctas tribuere puellas, Quantum inter vates laudes Homerus habet. Blandus amor docuit numerosque probavit Apollo; Nomen erat Sappho, patria Lesbos erat.* Cod. Guelferbytanus VI. (g_5)

β) Codex Guelferbytanus septimus (Gud. 342) membranaceus s. XV praeter epistulam Sapphus carmen de pulice, Copam, Moretum, Camilli Romani carmen in obitum Caroli Parthenopaei et epigrammata nonnulla continet. carmen Ovidii inscribitur ita: *Saphos poetissae ad Phaonem Siculum libellus feliciter incipit.* (Heusinger l. c. p. 7.) Cod. Guelferbytanus VII. (g_6)

§. 6. De codicibus Gothanis.

Duo Heroidum libri mss. adservantur in bibliotheca ducali Gothana, in quibus describendis Kuinoelum sequor[11].

1. Codex Gothanus prior membranaceus est saeculi XIII exeuntis formae octavae. continet praeter Heroides fragmentum epistularum ex Ponto (IV. 9. 85 — 16. 37) ab alia manu scriptum. scholiis instructus est et in margine et inter lineas; variae lectiones versibus interscriptae. scriptura ipsa perspicua, etsi atramentum passim palluit. desunt ex epistulis II. 18. 19. XV. 39—142. XX. 13—248. Cod. Gothanus I. (γ_1)

2. Codex Gothanus posterior teste Kuinoelo recentioris aetatis est, saeculi igitur fort. XV. scriptus est eleganter ac perspicue in membranis formae octavae. scholia raro exhibet, variae lectiones autem pluribus locis adscriptae sunt. singulis epistulis praemissa sunt argumenta, quae Cod. Gothanus II. (γ_2)

[11]) Animadversionum criticarum in Ovidii Heroidas spec. I. Gissae. 1805.

num sint metrica qualia supra commemoravimus, non compertum habeo. omittit hic liber quae Gothanus prior.

Utriusque libri collatione usus sum Kuinoeliana in editione Loersii (Colon. 1829 sq.) expressa.

§. 7. De codice Bernensi.

Cod. Bernensis (b) Codex Bernensis (512) est membranaceus saec. XIII constans foliis 152 formae octavae. continet praeter Heroides inter alia Matthaei Vindocinensis Tobiam cum commento, in cuius fine a librario adnotatum est: *Iste liber perfectus fuit anno Domini M^O CC^O octogesimo nono in vigilia sancti stephani prothomartyri. Deo gratias.* secuntur duae vitae Ovidii, una prosaica, altera versibus trochaicis composita, disticha Catonis cum glossis, alia [12]). Heroidum corpus et inscriptione caret et subscriptione; etiam singulae Heroides neque inscriptae neque subscriptae sunt. scatet hic liber glossis et variis lectionibus. omissi vv. II. 18—19. XV. 39—142. XX. 13—248.

Excerpta intercedente Hartelio benigne transmisit vir doctissimus Arminius Hagen.

§. 8. De codice Trevirano.

Cod. Treviranus (t) Codex Treviranus membranaceus s. XIII constat foliis 53 formae quadratae minoris. hic liber diu tenebris plane obrutus latuit inter thesauros abbatiae antiquissimae ad St. Mathiae Trevirensis (cond. 1148), unde sub huius saeculi initium a Wyttenbachio in bibliothecam publicam translatus ibique a Loersio repertus est, cuius sequor descriptionem accuratissimam [13]). foliorum 53 codici duo alii libri adsuti sunt iique vetustiores, quorum prior Prisciani libb. XVII—XVIII, alter Persii satiras continet. Heroidum codex autem tam minutis scriptus est litteris, ut totus versiculus vix supra tertiam paginae latitudinis partem im-

---

[12]) Conf. Hagen, Catalogus codicum Bernensium (Bernae 1874) p. 431.

[13]) Descripsit Loersius codicem primum in programmate gymnas. Colon. a 1825 et copiosius quidem quam postea in editione sua.

pleat. pentametri non subducti sunt neque inscriptio extat a m. 1; a rec. manu in fine primae paginae adnotatum est: *Ouidius epistolarum heroidum.* quamquam liber iam multorum manibus tritus esse videtur, tamen adeo integer servatus est, ut ne unus quidem versus a pristina integritate desideretur. inter versus et in margine ingens est adpositus scholiorum numerus. in epistulis solemnes defectus notandi.

Varias scripturas ex Loersii editione deprompsi.

§. 9. De codice Francofurtano.

Codex Francofurtanus bibl. publicae membranaceus est s. XIII formae maximae continens opera et Ovidiana et Pseudo-Ovidiana omnia praeter Medicamina faciei, Halieuticon fragmentum, epicedium Drusi. etiam Sapphus epistula in eo invenitur sine ulla inscriptione Heroidibus praemissa. Nucis elegia a manu alia s. XIV — XV addita est. accuratissimam descriptionem eius partis, qua continentur epistulae, grato animo profiteor me debere Alexandro Riesio. hoc viro doctissimo teste textus eleganter scriptus est et ita quidem, ut singulae paginae duas columnas versuum duodequadragenorum exhibeant. pentamentri non subducti sunt. inscriptio haec legitur. *Incipit ouidius epistokarum* (sic); subscriptio post v. XX. 12 (in quem omissis II. 18. 19. XV. 39—142 desinunt epistulae) haec extat: EXPLICIT LIBER ouidii epı ſtolARVM. epistulae omnes solita ratione nominibus heroum et heroidum inscriptae sunt praeter ep. I, quae nullam exhibet inscriptionem. praeter manum primam, quae textum scripsit, altera cognoscitur, quae aliquot locis scripturam primitivam correxit. sed cum tales correcturae raro occurant, de eius aetate certi quicquam statui nequit. [14]) accedit tertia manus s. XIII—XIV nigriore atramento conspicua, quae glossas inter lineas adscripsit, quo eodem munere functa est manus quarta s. XV — XVI nimis pallido atramento usa. textum autem hae duae manus non correxerunt, nisi quod tertia manus aliquot locis in re

Cod. Francofurtanus. (f)

[14]) *Fast scheint es mir die Hand des Schreibers des Codex selbst zu sein addit Riesius.*

orthographica quaedam mutavit. collatione huius libri usus sum Loersiana.

§. 10. De codice Erfurtensi.

Cod. Erfurtensis. (e) Codex Erfurtensis, qui adservatur in bibliotheca collegii Ampioniani, teste Kuinoelo[15]) membranaceus est s. XIII formae quadratae. multae glossae marginem et spatium inter lineas occupant. desunt vv. II. 18. 19. XV. 39—142, unde colligendum videtur libro integro etiam vv. XX. 13—248 defuisse. nunc enim hic codex in fine mutilus est desinitque in v. ep. XVI. 97.

Collatione usus sum Kuinoeliana expressa apud Loersium.

§. 11. De codice Argentoratensi.

Hunc librum Loersius[16]) hunc in modum describit: Cod. Argentoratensis. (α) *Codex Argentoratensis, si schedulae, quae ei praefixa est, fides habenda, ante aliquot saecula Constantinopoli in Germaniam translatus est. — — Continentur in eo praeter Epistolas Heroidum etiam epistolae ex Ponto. Aetate usque ad saeculum decimum tertium pertinere videtur. Scholia fere nulla continet praeter paucissimas singularum vocum circumlocutiones, quamvis multo usu admodum detritus sit. Luculentissime et accuratissime est exaratus, nisi quod nomina propria saepe depravata sunt, et tam pallido scriptus est atramento, ut multis in locis vel intentissima oculorum acie optimisque instrumentis legi vix satis queat. In hoc codice epistola XV* (h. e. epistula Sapphus, olim Her. XV), *item CIV illi versus decimae sextae* (h. e. XV. 39—142) *desunt, atque inde coniici merito potest, ab initio vicesimam quoque primam* (XX) *a v. 13 defuisse, de quo, ut nunc est codex, non satis iudicari potest, quum a v. 236 Epistolae vicesimae* (XIX) *desinat, et unum et alterum folium periisse, facile, sed quot folia exciderint, non satis appareat.*

Varias lectiones ex Loersii editione repetivi.

---

[15]) Animadvers. pag. 1.

[16]) *Tom. II.* p. 633.

§. 12. De codice Dresdensi.

Codex Dresdensis (bibl. reg. D. 115) membranaceus s. XIII. constat foliis 48 formae quadratae. in ima fol. 2r parte haec extant: *Iste liber est monasterii S. Salvatoris ad Venetias, quem reliquit Rev. Dom. Jeremias Zane, pro cuius anima tenemur orare. 1484.* postea librum pertinuisse ad aliquem ex gente Viscontii docent insignia gentilicia in prima pagina picta [17]). Cod. Dresdensis. (d)

Desunt in hoc libro II. 18. 19. XV. 39—142. XX. 13—248. varias scripturus ex Loersio deprompsi.

§. 13. De codice Gissensi.

Codex Gissensis (bibl. acad. 66; olim Senckenbergianus) membranaceus saec. XIV constat foliis 58. scriptus est eleganter litteris minutissimis, crebris compendiis, initialibus epistularum et singulorum versuum rubro colore pictis. notas et inter lineas et in margine adscripsit manus eadem. hic codex multis locis tam male habitus est, ut difficillime legi possit [18]). omittit XV. 39—142 et XX. 13—248: adsunt tamen vv. II. 18. 19. Cod. Gissensis. (σ)

Collatione usus sum Wigandiana expressa apud Loersium.

§. 14. De codice Laurentiano.

Codex Laurentianus (XXXVI. 27) est membranaceus saec. XIV, ex parte tamen chartaceus s. XV, constans fol. scriptis 69 formae quadratae maioris. continet praeter Heroides carmen *de quatuor complexionibus hominum* vel *de medicamine surdorum* et in titulo et in glossa marginali ad Ovidium auctorem relatum [19]). Heroidibus singulis Cod. Laurentianus. (λ)

---

[17]) Conf. Ebert, Geschichte und Beschreibung der k. öffentlichen Bibliothek zu Dresden (Lips. 1822) p. 273; Goetze, Merkwürdigkeiten der k. Bibliothek zu Dresden. (Dresdae 1743—1748) vol. III. p. 353.

[18]) Conf. Jo. Val. Adrian, Catalogus codd. mss. bibliothecae acad. Gissensis (Francof. 1840) p. 20 sq. — Welcker, Kleine Schriften, II. p. 116. n. 66. — Dilthey l. c. p. 60. n. 1.

[19]) Conf. Bandini, Catal. bibl. Laur. IV. 2. p. 237.

praemittuntur argumenta illa metrica, de quibus supra diximus[20]). etiam vita poetae in hoc libro extat. ex epistulis tamen desunt IV et V totae, deinde vv. II. 18. 19. XV. 39—142; ultima membranarum earum, in quibus epistulae scriptae sunt, desinit in v. XX. 7: adnexa est charta, in qua manus s. XV exaravit vv. XX. 8—248.

Varias lectiones ad ep. XIX. XX ex Dilthei libro deprompsi[21]).

§. 15. De codice Sessoriano.

d. Sessorianus. (s) Codicem Sessorianum Diltheius[22]) hunc in modum describit:

Codex bibliothecae Sessorianae (monasterii S. Croce), qui in catalogo est CIX, sed sub n. CX asservatur, membranaceus formae VIII, teste Reifferscheidio . . . . . saeculi XIV. continet nihil praeter epistulas Ovidianas. post XXI (XX) *12 subscriptum est: Explicit Ovidius epistolarum. Deo gratias. Amen.*

Varias scripturus ad XIX. XX ab Reifferscheidio enotatas desumpsi ex Dilthei libro.

§. 16. De codicibus Cremifanensibus.

Duo in clarissimi monasterii Cremifanensis bibliotheca extant Heroidum libri, quos intercedente rev. domino Mathia Fuerlingero, monasterii Cremifanensis sacerdote capitulari, a bibliothecario reverendissimo P. Hugone Schmidtio huc transmissos domi tractavi.

. Cremifanensis prior. (c_1) α) Codex Cremifanensis prior (n. 329) chartaceus saec. XV. formae fol. maximae 23 varia continet variorum auctorum opera manuscripta nec non pleraque impressa; inter priora quae commemorentur digna sunt *Fasciculus temporum* (Chronica Carthusiensis), descriptus ex editione principe anni 1474 hoc quidem tempore quantum scio rarissima; addidit librarius subscriptionem hanc: *Finita est*

---

20) Conf. descriptionem codd. v_4 et g_2.

21) L. c. p. 137 sqq.

22) L. c. p. 135.

hec scriptura Cronice Carthusienš que fasciculus temporum dicitur · iuxta p̄mū suum exemplar · per me Symonē prokch · viuente domino Vdalrico Abbate Monasterii sancti Agapiti In krembsmünster Anno domini M · CCCC · LXXIX. decima septima kalendas Januarii; deinde commemoranda *Chronica summorum pontificum imperatorumque ac de septem aetatibus mundi ex B. Jeronimo Eusebio aliisque eruditis excerpta* transscripta ex editione Romana a. 1476; porro Leonardi Aretini versio Hieronis Xenophontei, plerique tractatus Aeneae Silvii, alia.

Heroides continentur foliis 179ᵛ—204ᵛ; quarum ordo misere turbatus est; ita enim sese excipiunt: I—X. 102; XII. 203—212; XIII; XIV; XV. 1—62; X. 103—150. XI; XII. 1—202; XV. 63—272; XVI.—XX, quod ex confusis achetypi paginis explicatur, inscriptio invenitur haec: *P. Ovidii Nasonis Heroidum p̄ma Incipit Penelope Herois ad Ulixem maritum.* subscriptio nulla extat. epistula XX. ita inscripta est: *Cydippe Aconcio herodum Ouidii ultīa recens reperta.*

Heroidas excipit epistula Sapphus ita inscripta: *Sappho uates clarissima ad Phaonē siculū eius amatorē.*

Ex epistulis omissi vv. II. 18. 19. XV. 39—142; adsunt vv. XX. 1—144.

β) Codex Cremifanensis alter (149) saec. XV constat 303 foliis formae octavae continetque opera varia 38, in quibus sunt: *Liber poetarius de fabularum integumentis Ovidii* (qui idem extat in cod. Vindob. 3400. foll. 154ʳ—181ʳ), porro carmen amplissimum, cui inscriptum est *Incipit Heinricus cui non fuit ullus amicus In tristi vita cur dolet et flet ita*, Pulex Pseudo-Ovidianus, *Virgilius de hortulo*[23]), Cod. Cremifanensis alter. (c_2)

---

[23]) Est hoc carmen Asmenii *De laude horti* exhibitum cod. Paris. 8069, quod editum v. in Riesii Anthol. n. 635, a cuius textu c_2 hunc in modum discrepat: 2. laudem. — 3. praebet corpori. — 4. variosque cultus. — 5. olus suaue genus (genus *deletum*) multiplex habere genus. — 7. desit. — eciam voluptas. — 8. modis comixta. — 9. ambit. — 15. habet grauat (*corr. m. 1.*). — 16. textasque. — pampinus. — 19. canoros garrule. — 21. aduocat. — 22. augures. 23. capit *om.*

Persii satirae, Horatii ars poetica, sermones, epistulae, pleraque carmina (inedita?) Matthaei Vindocinensis (*Commendatio militis, papae, sapientis. Vituperium stulti* etc.), nonnulla opera Bernardi Silvestris, excerpta Tibulliana, aliquot carmina anonyma, de quibus data occasione accuratius agam, denique Cuculus. inscriptio Heroidum extat nulla; subscriptum est hoc: *Explicit liber eplarum ouidii.* singulis epistulis praemittuntur argumenta illa metrica, quae supra vidimus extare in v_4 g_2 λ; praeterea in margine adscriptae prosaicae argumentorum enarrationes eaedem fere, quas exhibet v_5. inter lineas et in margine pleraeque extant et glossae et variae lectiones diversis atramentis, nec tamen ut videtur a diversis manibus scriptae.

Desunt vv. ep. II. 18. 19. XV. 39—142. XX. 13—248.

§. 17. De codice Lipsiensi.

od. Lipsiensis. (l)

Codicis Lipsiensis (bibl. civ. n. 47) descriptionem debeo viro humanissimo Georgio Goetzio, qui, quae de hoc libro commemoranda videbantur, benigne mecum communicavit.

Codex Lipsiensis est saec. XV constans foliis 70 membranaceis. in interiori involucri parte haec leguntur: *Hic liber est meus. Palmerino de Oliva.* numerus versuum in singulis paginis constanter est 26. inscriptio haec invenitur: *P. Ovidii Nasonis liber heroidum incipit.* subscriptio haec: *P. Ovidii Nasonis Heroidum liber finit.*

Desunt vv. ep. II. 18. 19 et epistula XV tota; ep. XX adest integra (vv. 1—248).

§. 18. De codice Seidleriano et de fragmento Paulino.

od. Seidlerianus. (f) agmentum aulinum. (φ)

Codicis Seidleriani et fragmenti Paulini collationes quidem extant accuratae in editione Jo. Chr. Jahni (Lips. 1828); de externa tamen horum codicum specie nil omnino comperire potui. et codex Seidlerianus quidem, qui exhibet ep. VIII et epistulam Sapphus, ne scimus quidem ubi quaerendus sit. fragmentum Paulinum autem, quod solos exhibet vv. ep. XV. 39—142, Lipsiae extare in bibliotheca

Paulina et Jahnus testatur vol. II. tom. I. (Lips. 1832) praef. p. XI et Loersius praef. pag. IX. attamen Goetzius, qui hoc fragmentum mea causa inspecturus erat, in bibliotheca Lipsiensi invenire non potuit.

Caput II. Editiones veteres[24]).

§. 19. De editione Romana.

Editionis principis, quae prodiit Romae a. 1471, usus sum exemplari, quod adservatur in bibliotheca palatina Vindobonensi sign. 25. C. 11. constat haec editio duobus voluminibus, quorum prius incipit ab epistula editoris Joannis Andreae, episcopi Aleriensis, ad Paulum II. Pontificem Maximum. *P. Ovidium Nasonem* — scribit episcopus — *pater beatissime Paule II. Venete, Pontifex Maxime, acerrimi poetam ingenii, nemo est qui maxime non admiretur, nemo qui non diligat et ut suavissimum exosculetur. Magnum tamen eius Metamorphoseos opus, quamquam inemendatum ab eo propter exilii calamitatem relictum est, omnibus illius praestat operibus. id nos per aestatem praesentem quasi ludentes inter maiora Ciceronis orationum opera recognovimus et parva quaedam argumenta fabularum principiis opposuimus. Si quis fortasse diligentius in ea re vigilavit aut plenius quicquam ab antiquis traditum habet, exponat illud in publicum rogamus. Nos ipsi satis artati temporum angustiis necessitati potius paruimus, quam nostro desiderio. Cetera omnia Poetae opera quanta cura possumus congregamus, ut lenissimus vates in duobus legi totus voluminibus possit. Romae quintodecimo Kal. Augu. M.CCCC.LXXI. Pontificatus tui candidissimi anno septimo.* Editio pr ceps an 1471. (ϱ)

Continentur hoc volumine Metamorphoseon libri. singulis libris praemissa sunt argumenta metrica. libro primo inscriptum est: *P. Ouidii Nasonis Magni operis Metamor-*

---

[24]) In editionibus describendis paulo copiosiores erimus, cum de ratione, qua adornatae sint, adhuc nihil fere innotuerit.

phoseos. Liber primus. singuli libri in sectiones divisi, quibus praecedunt argumenta illa brevia, quae in epistula commemorat episcopus; e. g. primus liber in XXI eiusmodi sectiones divisus est et ita quidem: 1. *Propositio et invocatio.* (vv. 1—4). 2. *De Chao materia elementari et mundi opificio et unico deo vel nàtura.* (vv. 5—75). 3. *De origine hominis.* (vv. 76—88). 4. *De ·IIII· etatibus. Aurea primum sub Saturno Etas.* (vv. 89—112). 5. *De argentea etate sub Iove.* (vv. 113—124). cett.

In calce huius voluminis quattuor extant disticha, in quibus typothetae nomina sua memoriae prodiderunt: *Aspicis illustris lector quicunq; libellos Si cupis artificum nomina nosse: lege. Aspera ridebis cognomina teutona: forsan Mitiget ars musis inscia verba virum. Cōradus suueynheym: Arnoldus pānartz q; magistri Rome impresserunt talia multa simul Petrus cum fratre Francisco Maximus ambo Huic operi aptatam contribuere domum.*

Volumen alterum incipit ab Amoribus, quibus inscriptum est: *P. Ouidii Nasonis de sine titulo libellus*; sequitur Ars (*P. Ouidii Nasonis de artibus amandi*), elegia de pulice (*Q. Ouidii pulex*), porro Remedia cum his titulis: *P. Ouidii Nasonis de remedio amoris. Liber I* et *Liber II.* divisum enim hoc opus in duos libros, quorum prior vv. 1—396, alter reliqua continet. proxima est Consolatio ad Liviam (*P. Ouidii Nasonis Poete consolatio ad Liuiam Augustam de morte Drusi Neronis filii eius: qui in Germania morbo periit*), quae excipitur ab Heroidibus ita inscriptis: *P. Ouidii Nasonis Heroides Epistole.* singulae epistulae hunc in modum inscriptae sunt: I. *Penelopes ad Ulixē uirum suum. Elegia.* — II. *Phyllidis ad Demophoonta amicum suum. Elegia.* — III. *Bryseidis ad Achillem amicum. Elegia.* etc. memorabilis est inscriptio ep. XX: *Cydippe Acontio herodum Ouidii ultima recens reperta*[25]). Heroidas excipit de nuce elegia (*Quinti Ouidii Nux.*). secuntur Medicamina formae (*P. Ouidii Nasonis Medicata*

---

[25]) Eandem inscriptionem supra vidimus extare in c_1, similem in v_6.

facies) et deinde Ibis (*P. Ouidii Nasonis in Ibim*), qui excipitur a libris Tristium (*P. Ouidii Nasonis de tristibus*). proximum locum obtinent epistulae ex Ponto (*P. Ouidii Nãsonis De ponto Liber Incipit*); sequitur epistula Sapphus (*Sappho uates clarissima ad Phaonem siculum eius amatorem*). agmen claudunt Fastorum libri cum his titulis: *P. Ouidii Nasõis Fastorum ad Germanicum Caesarem Liber primus.* — *P. Ouidii*....... *liber ·II· de mense Februario.* — ....*liber Tertius de Menso Martio.* etc.

Forma foliorum huius editionis est maxima; numerus versuum in unaquaque pagina duodequadraginta. ex Heroidum epistulis desunt vv. II. 18. 19. XV. 39—142: ep. XX autem versus extant 1—144. epistulas contuli omnes[26]).

§. 20. De editionibus Venetis.

1. Editio Veneta a. 1474 (Panzer l. c. III. p. 104; Editio Ven a. 1474
Hein l. c. p. 543; sign. in bibl. pal. Vindob. 6. D. 9) duobus (ε_1)
constat voluminibus; in alterius calce haec leguntur: *Huius* (sc. Ovidii) *opera omnia Medea excepta: et triumpho Caesaris: et libello illo pontica lingua composito: quae incuria temporum perierunt: Iacobus Rubeus natione gallicus honestissimo loco natus ad utilitatem uiuẽtium nec non et posterorum impressit. Nicolao Marcello Duce inclyto Venetiarum: M.CCCC.L.XX.IIII.*

Priori volumine continentur Metamorphoses (*Publii Ouidii Nasonis Metamorphoseos liber primus.* -- *P. Ov.* etc. *libri quinti decimi atque ultimi finis*); volumine altero haec exhibentur: 1. Heroides distributae in duos libros, quorum priori, cui inscriptum est: *Publii Ouidii Nasonis epistolarum Heroidum Liber primus*, comprehenduntur

---

[26]) Conf. de hac editione: Audiffredi, Catalogus historico-criticus Romanarum editionum saec. XV. (Romae 1783) p. 77 sq. — Panzer, Annales typographici vol. II. p. 425. - Hein, Repertorium bibliographicum vol. II. fasc. 1. p. 543. — editio princeps altera, quae eodem anno 1471 Bononiae prodiit curata a Francisco Puteolano, impressa per Balthasarum Azoguidum (conf. Audiffredi, Specimen historicocriticum editionum Italicarum saec. XV. Romae 1794 p. 14 et 405 sq.; Panzer l. c. I. 204; Hein l. c. p. 542), Vindobonae non extat.

epp. I—XIV, altero reliquae. desunt ex epistulis II. 18. 19. XV. 39—142; adsunt ep. XX. vv. 1—144. 2. Epistula Sapphus (*Sappho Phaoni*). 3. Ars (*P. Ov. Nas. de arte amandi liber primus, secundus* etc.). 4. Amores (*P. O. N. elegiarum sive amorum liber primus* etc.). 5. Remedia Amoris ut in ed. princ. in duos libros divisa (*P. O. N. de remedio amoris liber primus incipit*). 6. Medicamina (*P. O. N. de medicamine faciei libellus*). 7. Nux (*P. O. N. de nuce libellus*). 8. Fasti (*P. O. N. Fastorum liber primus* etc.). 9. Consolatio ad Liviam (*P. O. N. Poetae consolatio ad Liviam augustam de morte drusi Neronis filii eius, qui in germania morbo periit*). 10. Tristium libri (*P. O. N. de tristibus liber primus* etc.). 11. Epistulae ex Ponto (*P. O. N. De Ponto Liber Primus* etc.). 12. Pulex (*P. O. N. de pulice opusculum incipit: q̃q̃ nõ putatur a quibusdã Ouidii opus*). 13. Philomena (*P. O. N. de philomena liber incipit. Aliq̃ tamen putant non ex eius officina librum hũc emanasse*). 14. Ibis (*P. O. N. In Ibin Liber Vnicus*). finem facit *Calphurnii carmen ad lectorem.*

ConTuli ep. I. II. III. XX; cetera excerpsi.

:io Veneta . 1486. (ε_2) 2. Editio a. 1486 (Panzer III. p. 232; Hein l. c. p. 544; sign. bibl. Vindob. 19. E. 6) duobus constat voluminibus, quorum prius *die XIII. Januarii*, alterum *die XXVII. nouembris* prodiit; impressit Bernardus de Novaria. prior fasciculus complectitur haec: 1. Ovidii vitam copiose enarratam collectis poetae locis eo pertinentibus. 2. Metamorphoses (inscriptas ut in ε_1); singulis fabulis praemissae argumentorum enarrationes.

Volumine altero continentur haec: 1. Heroides (*P. O. N. Sulmonensis poetae clarissimi heroidum alias epistolarum: liber unicus incipit*). desunt II. 18—19. XV. 39—142; ep. XX adest integra (1—248). 2. Epistula Sapphus (inscripta ut in ε_1); subiuncta sunt, quae de Sappho extant apud Suidam latine versa, deinde loci ad eam pertinentes ex Antipatro Sidonio, Ausonio, Papio, Horatio. 3. Epistulae Angeli Sabini praemissis his: *A. Sabinus eques. Romanus celeberrĩus uatesq; . Nasonis tẽporibus floruit: qui has oẽs responsiones & alias edidit quae non reperiuntur. De quo*

quidem Sabino ipse Naso de sine titulo libro secundo ad Marcũ · ita scribit: (secuntur Am. II. 18. 27—34). *Idem de ponto libro tertio in inuidos*: (secuntur Pont. IV. 16. 13—16). 4. Amores (inscriptae ut in ε_1). 5. Ars (*P. Ov. Nas. Sulmonensis de arte amandi*). 6. Remedia (libri II ut in $\varrho\varepsilon_1$). 7. Ibis. 8. Fasti. 9. Libri Tristium. 10. Epistulae ex Ponto. 11. Pulex. 12. Philomena. 13. Medicamina. 14. Nux. 15. Epicedium Drusi. opera 7—15 ut in ε_1 inscripta sunt.

Contuli epp. I. II. III. XX integras; reliquas excerpsi.

3. Editio anni 1489. (Panzer III. p. 269; Hein l. c. p. 545; sign. b. p. Vind. 16. D. 11) duobus constat voluminibus; in calce alterius haec leguntur: *Publii Ouidii Nasonis opera Lucantonii Florentini impensa a Matheo Capaesa Parmense accuratissime impressa Foelici faustoque auspicio hic clauduntur . Anno . MCCCCLXXXVIIII. Pridie Caleñ. Januarias.* complectitur volumen prius haec: 1. Epistulam Boni Accursii Pisani ad Cicchum Simonetam, primum ducalem secretarium. 2. Ovidii vitam eandem, quae est in ε_1. 3. Tabulam fabularum, quae in Metamorphoseon libris tractantur. 4. Epistulam Valerii Superchii editoris ad principem Joannem Sforza. 5. Carmen editoris, quo „*conqueritur, quod barbari velint pariter cum Nasone opera illius interire*". 6. Metamorphoseon libros. volumen alterum omnino par est vol. alterius ed. ε_2. finem facit carmen Mauri Ugeri Mantuani *De Anima Ouidii quae migrauerit in Valerium Superchium.* Editio Ven a. 1489 (ε_3)

4. Editio ann. 1492—1498 (Panzer III. p. 435; Hein l. c. p. 545; sign. 19. D. 20) duobus constat voluminibus, quorum in prioris calce adnotatum est: *Impressum Venetiis per Christophorũ de Pensis de Mandello. M. CCCC LXXXXII. die . VII. mense ianuarii.* in calce alterius haec legimus: *Publii Ouidii Nasonis Sulmonensis poetae Clarissimi Opa oĩa impressa Venetiis p Xp̄oforũ de Pensis: de Mandello Anno Dni. M. CCCC. LXXXXVIII. XXIII. kalendas decembres. Laus Deo.* vol. prius epistulam Accursii, Ovidii vitam, tabulam fabularum, Metamorphoses continet; alterum omnino par est edd. ε_2 ε_3. editiones ε_3 ε_4 excerpsi. Editio Ven a. 1492—14[illegible] (ε_4)

Hae quidem extant Vindobonae editiones Venetae universum complexae Ovidium: iam describendae eae, quibus Heroides solae exhibentur. quarum hae inveniuntur in bibliotheca palat. Vindobonensi:

tioHeroi- im Ven. . 1484. (1.)

5. Editio anni 1484 (Hein l. c. p. 550; Panzer IX. p. 287; sign. 24. D. 4) impressa per Thomam de Alexandria regnante duce Joanne Mozenigo; exhibet epistulas Heroidum cum commentario Antonii Volsci, epistulam Sapphus et Ibin cum commentariis Domitii Calderini. Heroidibus praemissa est Volsci epistula ad Ludovicum Diaedum, patricium Venetum et eiusdem auctoris vita Ovidii. inscriptio extat haec: *Publii Ouidii Nasonis epistolarum heroidum liber primus.* ep. XVI ita inscripta est: *Sabini poetae epistola qua alexandro helena respondet* legimusque in commentario ad hanc ep. haec: *Nullam quae respondeat epistolam fecisse Ouidium aparte constat cum suis omnibus: Sabinum poetam respondisse in amoribus ipse testatur cum dicit : Quam cito* etc. (conf. Am. II. 18. 27 sqq.) epistulae Sapphus praecedunt litterae Domitii ad Franciscum Aragonium, Ferdinandi regis Neapolitani filium.

Contuli Heroidas, e quibus desunt II. 18. 19. XV. 39—142. XX. 13—248, integras.

tio Heroi- im Ven. . 1490. (2.)

6. Editio anni 1490 (Hein l. c. p. 550; Panzer III. p. 292; sign. 16. E. 13) impressa per Lazarum de Isoardis de Saviliano. haec editio plane eadem ratione adornata est ac superior. exemplar Vindobonense Ioannes Cuspinianus († Vindobonae 1525) notis instruxit marginalibus.

tio Heroi- im Ven. 1492. (3.)

7. Editio anni 1492 (Hein l. c. p. 551; Panzer III. p. 316; sign. 6. E. 16) impressa per Bartholomaeum Venetum de Ragazonibus. haec editio a superioribus eo tantum differt, quod accessit commentarius Hubertini Clerici Crescentinatis in Heroidas, qui editioni praemisit epistulam ad Guidonem de S. Georgio, primum marchionalem camerarium. Heroides, e quibus desunt quae in 1. 2., in quinque libros divisae sunt (lib. I = epp. I—V; II = epp. VI—X; III = epp. XI—XIII; IV = epp. XIV—XVI; V = epp. XVII—XX). adnotat Hubertinus sese invenisse eam distributionem in codice „antiquissimo“.

8. Editio anni 1496 (Hein l. c. p. 552; Panzer III. p. 394; sign. 16. F. 4) impressa per Simonem Papiensem dictum Biuilaqua. haec editio omnino pariter est adornata ac superior. Editio Heidum Ve a. 1496 (4.)

Editiones 2. 3. 4. excerpsi.

§. 21. De editione Parmensi.

Editio Parmensis a. 1477 (Hein l. c. p. 544; Panzer II. p. 351; sign. 2. C. 8) tribus constat fasciculis, in quorum primo haec ad calcem adnotata sunt: *Impressum Parmae ductu et ipensis mei stephani coralli lugdunensis. M. CCCC LXXVII. die primo iullii.* volumen primum incipit a tabula fabularum eadem quae est in ε_3 ε_4, et continet praeter eam Ovidii vitam auctore Domitio Calderino, et Metamorphoses; alterum volumen ab Heroidibus incipit, tertium a Fastis. quae duo volumina in omnibus plane congruunt cum editionum ε_2 ε_3 ε_4 voluminibus secundis. ex epistulis desunt II. 18. 19; epp. XV. XX. adsunt integrae. Editio Parmensis a. 1477 (π)

Contuli epp. I. II. VIII. XIV. XV. 39 — 142. XX; cetera excerpsi.

§. 22. De editione Vicentina.

Editio Vicentina a. 1480 (Hein l. c. p. 544; Panzer III. p. 513; sign. 8. F. 2) duo complectitur volumina; in calce prioris haec leguntur: *Barnabus Celsanus Vicentinus habes humanissime lector opera P. Ovidii a nobis quam accuratissime potuimus emendata. nec minus diligenter ab Hermanno Levilapide Vicentiae impressa M.CCCC.LXXX. pridie idus. Aug. feliciter*; in calce alterius autem haec: *Finis omnium librorũ P. Ouidii qui extant. eos q̃ accuratissime emendatos a Barnaba Celsano vicẽtino. ĩpressit Hermannus Coloniensis Lichtenstein Vicentiae. M. CCCC. LXXX. sex Id. Maii.*. haec editio omnino pariter est adornata atque editio ε_4, nisi quod Heroid. XV. 39 — 142 exhibet in ε_4 omissos. Editio Vicentina a. 14[80] (β)

Contuli I. II. III. XV. 39—142. XX; cetera excerpsi.

PARS ALTERA. TEXTUS HISTORIA.

§. 1.

Si ambitum respicimus carminum, quae in libris supra descriptis extant, adparet plerosque et in his antiquissimum codicem P omittere vv. ep. XV. 39—142 et vv. ep. XX. 13—248. quamobrem textus historiam enarraturo iam primum quidem statuendum esset antiquissimis temporibus ex exemplari integro aliquot foliorum iactura excidisse hos versus, nisi quominus tam celeriter hanc quaestionem absolveremus, gravissimi auctoris obstaret sententia haec: — — *neque ullam excusationem habet inepta editorum vel recentissimorum superstitio, qui epistulam Sapphus et eos versus, qui apud Heinsium his numeris notati sunt, XVI, 39—142 XXI, 13—248, noluerint aut eicere aut circumscribere.* [28]) poetarum enim Italorum fraude saec. XV demum

---

[28]) Notum est eam esse sententiam Lachmanni, quam protulit in famoso illo indice lectt. aest. Berol. 1848, quod opusculum sat pingui Minerva confecit vir clarissimus. cum Lachmannus l. c. etiam Sapphus epistulam tangat, iam de ea, quantum ad Heroidum textus historiam enarrandum pertinet, breviter exponemus. et id quidem tenendum est ex codicum ratione huic epistulae plane nihil rei esse cum Heroidibus, utut de eius fide et auctoritate sentimus. (commemorandum hoc loco nuperrime Ovidianam eius originem defendisse Comparettium disputatione „Sulla epistola Ovidiana di Saffo a Faone" in „Publicazioni del instituto di studi superiori in Firenze." II. 1a. 1876.). nullus enim hoc tempore extat liber ms., in quo inter ipsas Heroides inserta sit et quidem inter Hypermestram et Paridem, (quo loco eam exhibent editiones inde ab Heinsio usque ad Merkelium), sed locum hunc ei tribuit Heinsius. duobus tamen evincitur testimoniis olim etiam librum ms. extitisse, in quo locum inter Heroidas tenebat decimum quintum. extat enim Parisiis codex saec. XIII. Heroidum excerpta continens (Notre Dame n. 118) a Duebnero in lucem protractus, in quo inter Hypermestrae et Paridis excerpta inserti sunt Sapphus vv. 31. 32. 33. 34. 195. 196. (conf. de hoc libro Schnei-

hos versus accessisse putabat vir summus et postquam inter huius aetatis editores vir admirabilis Rudolphus Merkelius, sospitator Ovidii, primus eos e textu eiecit ac ne uncis quidem inclusos dignos duxit qui ederentur, iam actum de iis videbatur, nisi iis patroni extitissent viri docti non spernendae auctoritatis Lucianus Muellerus (de re metr. p. 43 sq.) et Carolus Diltheius (l. c. p. 41 n. 2.), et nuper quidem Theodorus Birtius (Mus. Rhenan. XXXII. p. 389). qua in quaestione iam primum quidem id tenendum, quod in tali re etsi non summum, ut nunc vulgo arbitrantur, attamen maximi est momenti: in versibus illis omnino nihil inveniri, quod metricis aut prosodiacis poetae rationibus repugnet. tale aliquid nec Lachmannus in iis indagavit nec Muellerus, nec qui nuper accuratissimam de Heroidum re metrica et prosodiaca quaestionem instituit

---

dewin Mus. Rhen. IV. p. 144). accedit, quod poetarum latinorum sedulus excerptor Vincentius Bellovacensis in Speculo Historiali (1244—1254) Sapphus versum 196 posuit inter Hypermestram et Paridem (conf. Comparetti l. c. p. 24 et Th. Birt, Mus. Rhen. XXXII. p. 394). cum vero in libris, qui hodie extant, Sapphus epistula aut praemissa sit Heroidibus (ut in fg_4) aut in calcem reiecta (ut i c_1) aut aliis operibus insertis ab Heroidibus plane disiuncta (ut in ed. princ.) aut denique separatim exhibita (ut in g_5 g_6 v_8 v_9), per se patet ut diversos locos in his libris ita in illo libro deperdito quintum decimum locum ei a librario vel a redactore quodam tributum esse neque quicquam amplius inde colligi posse. ad quod si addideris in nullo codice hanc epistulam revera ad Ovidium referri auctorem, iam intelleges eam ex codicum quidem ratione plane eodem loco habendam esse ac reliqua carmina Pseudo-Ovidiana, dico Nucem, Pulicem, Culum cett., quae una cum Nasonis scriptis edi consueverunt. neque igitur ullo pacto ratio eius habenda est in Heroidum textus fatis enarrandis. fuisse olim in Heroidum numero etiam Sapphus quandam epistulam notum est poetam ipsum testari Am. II. 18. 26: quodsi tamen quis expectet nos enarraturos, qui factum sit, ut ipsi libri antiquissimi aut antiquissimorum apographa illius epistulae ne vestigia quidem exhibeant et ita fortasse antiquissimi Heroidum exemplaris condicionem concludendo adumbraturos, benigne excusemur, si noluimus cumulare futiles coniecturas et satius duximus textus historiam inde ab eo demum tempore enarrare, a quo certioribus insistere licet vestigiis.

Eschenburgius[29]). porro ut priori loco de vv. XV. 39—142 agamus, primum omnium inquirendum, num hi versus omnino deesse possint. Heroidum epistulas nemo nescit esse suasorias, quemadmodum in rhetorum ludis fabricabantur quarumque ea erat ratio, ut causa proposita quam maxime posset defenderetur. causa illa in epistulis amor est, quem heroides et heroes ut iustum ac legitimum defendere student, quod idem Paris facit in ep. XV. attamen si ommittuntur vv. 39—142, pessime rem suam agit; nam leviter tantum attingit argumentum inter cetera longe gravissimum, dico litem illam dearum, qua diremta a Venere Helenae donatus est coniugio, et tamquam de nota re loquitur. conf. vv. 17 sqq.

Namque ego divino monitu, ne nescia pecces,
Advehor et coepto non leve numen adest.
Praemia magna quidem, sed non indebita posco:
Pollicita est thalamo te Cytherea meo.

vv. 163 sqq. (Heins.):

Praeposui regnis ego te, quae maxima quondam
Pollicita est nobis nupta sororque Iovis.
Dumque tuo possem circumdare bracchia collo,
Contempta est virtus Pallade dante mihi.

num Paridi fidem habebit Helena, nisi accuratius narrarit eam rem? at fortasse iam antea narraverat. minime; scribit enim, ut modo vidimus:

ne nescia pecces — — —.

tunc primum igitur Helena certior facta de Veneris promisso[30]). maximo opere autem mirari debemus, quod Helena in responso ad Paridis epistulam, si omittuntur vv. 39—142, multo plura narrat de dearum lite, quam ipse Paris narraverat. conf. XVI. 115. sqq.:

---

[29]) Metrische Untersuchungen über die Echtheit der Heroides des Ovid. Progr. gymnas. Lubecc. 1874.

[30]) Id iam animadvertit Werferus in „Specimen Lectionum in P. Ovidii Nasonis Heroides“ in „Acta philologorum Monacensium“ (ed. F. Thiersch). I. 4. p. 512.

At Venus hoc pacta est et in altae vallibus Idae
Tres tibi se nudas exhibuere deae:
Unaque cum regnum, belli daret altera laudem,
„Tyndaridis coniunx“ tertia dixit „eris“.
Credere vix equidem caelestia corpora possum
Arbitrio formam supposuisse tuo.
Utque sit hoc verum, certe pars altera ficta est,
Iudicii pretium qua data dicor ego.

unde gentium Helena haec omnia comperit? videamus paulo infra vv. 195 sqq.:

Tu quoque dilectam multos infide per annos
Diceris Oenonen destituisse tuam:
Nec tamen ipse negas. et nobis omnia de te
Quaerere si nescis, maxima cura fuit.

duabus igitur rationibus Helena comperit Oenonen a Paride destitutam: et per ipsum Paridem et per alios, quos de hac re interrogaverat. et alterum quidem recte se habet, unde autem innotuit Helenae Paridem ipsum proditionem suam profiteri? nil omnino de Oenone narrat Paris, si omittuntur vv. XV. 39—142. optime autem rem explicant vv. 95 sqq. (Heins.):

Nec tantum regum natae petiere ducumque,
Sed nymphis etiam curaque amorque fui.
At mihi cunctarum subeunt fastidia, postquam
Coniugii spes est, Tyndari, facta tui.

optime etiam intellegimus, cur Helena l. c. duplicem commemoret rationem, qua Paridis resciverit proditionem: scilicet de nymphae cuiusdam amore Paris ipse narravit, nomen nymphae Helena inquirendo comperit. — vv. XV. 53—88 (Heins.) autem continetur narratio de lite dearum iamque explicatur, quomodo scribere potuerit Helena ea, quae supra legimus.

Iam de vv. ep. XX. 13—248 videamus. quos non Italorum fraude ortos sed antiquae esse originis argumentis evincitur ut paucis ita gravissimis, quae primus attulit Diltheius [31]), cuius librum a viris doctis et in primis ab

---

[31]) L. c. p. 41 n. 2.

Ovidii editoribus vehementer dolendum est adhuc plane neglectum esse. constat autem Maximianum, quem diligentissimum Nasonis fuisse imitatorem facile ostendi potest[32]), iam legisse eos versus, cum apud eum el. I. v. 254 inveniatur hicce:

Parva licet magnum pallia pondus habent

cuius exemplar extat ep. XX. 170:

Et gravius iusto pallia pondus habent.

accedit quod in Nucis elegia, quae certe Neronis temporibus est vetustior[33]), inveniuntur, quae apertam prae se ferant imitationem versuum quorundam ep. XX; conf. Nuc. v. 5:

Nil ego peccavi nisi si peccasse vocetur

et ep. XX. v. 181:

Nil ego peccavi nisi quod periuria legi.

Videmus igitur spretos illos versus non saec. XV demum accessisse sed iam ab antiquis poetis ut Ovidianos

---

[32]) Adponam, quae prima eius elegia obiter tantum perlecta (v. Poetae latt. minn. cur. Wernsdorf Helmst. 1794. VI. 2) nulla data opera inveni deprompta ex Heroidum epistulis solis. in primis autem initia et exitus versuum a Nasone mutuati. conf. igitur v. 5 et ep. XIX. 49; v. 6 et XIII. 97 (XVII. 121); v. 14 et III. 21; v. 17 et V. 101; 19 et III 57; 22 et VIII. 36; 43 et XV. 197; 44 et X. 80 (II. 125); 65 et XIX. 36; 66 et XI. 35; 85 et III. 12; 89 et X. 41; (91 et ep. Sapph. 91); 97 et XII. 107; 101 et VI. 39; 103 et XII. 145; 116 et V. 79; 132 et XI. 6; 136 et III. 86; 142 et XVIII. 192; 149 et XI. 73; 165 et XV. 211; 175 et VIII. 25; 176 et XVI. 152; 177 et XVIII. 145; 179 et XVI. 23; 181 et VI. 47; 185 et XVII. 134; 214 et IV. 48; 223 et XVII. 171; 231 et VI. 47; 241 et IV. 19; 244 et III. 43; 246 et XI. 53; 262 et XIX. 170; 267 et VIII. 66; 272 et XVIII. 48; 275 et XVIII. 191; 278 et XVIII. 159; 283 et XII. 167; 286 et IV. 43; 287 et XIII. 17. De aetate Maximiani autem conf. Wernsdorf l. c. VI. p. 218 sq. et Fontanini, Hist. Lit. Aquilei. (Romae 1742.) cap. 3. §. 1.

[33]) De hac re nuper accuratam instituit quaestionem Ud. Willamowitz-Moellendorf in comment. philol. in honorem Th. Mommseni (Berol. 1877) pag. 390 sqq. — conf. etiam Luc. Mueller de re metr. p. 49; Riese in Fleckeiseni ann. phil. et paed. 101, p. 282.

lectos esse. quare iis uti licet in textus historia antiquitus repetenda. exciderunt igitur hi versus iam ante saec. IX extititque exemplar decurtatum. ex quo qui adhuc innotuerunt libri fluxere ad unum omnes. hoc enim tempore nullum novimus librum ms., qui utrumque versuum illorum corpus exhibeat sed in editionibus tantum s. XV leguntur. neque tamen harum editionum textus universus fluxit ex libro integro, sed descriptae sunt ex exemplari decurtato et versus illi ex integro suppleti. quod cum certis evincitur argumentis e textus condicione repetendis, tum editor Parmensis (a. 1477) ipse in registro editionis profitetur, in quo haec extant: *heroidum liber unicus in quo plurimi versus additi ex antiquissimo codice Presertim in epistola paridis ad helenam & in epistola Cydippes ad Acontium.* quid de antiquissimo illo codice censendum sit, vix opus est ut moneatur. fuit enim haud dubie liber s. XV, fortasse eleganter scriptus. quae de illis editionibus modo diximus, eadem cadunt in libros illos, qui cum ep. XV vv. 39—142 omittant, ultimae epistulae exhibent vv. aut 144 aut 248. etiam hi libri ad exemplar redeunt decurtatum suppleta ex exemplari integro epistula Cydippes. cuius rei apto exemplo sunt editiones Venetae, quae omnes unum eundemque repraesentant librum et pristina condicione (edit. ann. 1484, 1490, 1492, 1496) et suppleta ep. XX (edit. ann. 1474, 1486, 1489, 1492 sqq.); exemplo est etiam cod. λ, in quo supra vidimus extare supplementum unius saeculi intervallo ab ipso textu distans. iamque in propatulo est, quomodo explicanda sit mira illa inscriptio ep. XX, quam in huius generis libris aliquot deprehendimus (c_1 v_6 ϱ): *Heroidum Ovidii ultima recens reperta.* incidit enim exemplar integrum in manus alicuius, qui possidebat exemplar decurtatum. qui cum ep. XX videret extare integram, hoc invento gavisus in suum exemplar transscriptae praefixit titulum illum. commemorandum autem ex exemplari quodam, quod ep. XX suppletam exhibebat, fortasse iam ante saec. XV aliquot foliorum iactura deperditos esse huius ep. vv. 145—248. plures enim huius generis libri desinunt in

v. ep. XX. 144 (q_3 p_2 c_1 v_6 ϱ ε_1); integram ep. XX ex nostris solus habet cod. l.[34]).

Videmus igitur nullum ex libris, quorum ad nos pervenit notitia, ad exemplar redire integrum, cum tamen sat verisimile sit latere adhuc talem librum in bibliotheca nescio qua Italiae. adparet autem, quam magni esset momenti, si talis libri nobis suppeteret notitia. tum enim edoceremur, quaenam antiquissimis temporibus textus fuerit condicio, antequam versus illi exciderent. nunc vero nilnisi eius textus enarrare licet historiam, qui exhibetur libris ex decurtato illo exemplari deductis[35]).

Quos omnes ex eodem manasse archetypo cum iam eo, quod modo de eorum origine diximus, evincatur, etiam textus proditur corruptelis omnibus libris communibus et hisce quidem:

II. 122. *litora lata.* quod cum inrepserit ex v. 121, nuper Schenkelius (Philol. XXXVI. p. 175) rectissime revocavit coniecturam, quae extat in Aldina: *aequora lata.*

VII. 95. *violate.* quod pro glossemate videtur adscriptum fuisse ad *laese.* caret hic locus adhuc emendatione.

IX. 15. *tota.* correxit Heinsius.

103. *dardanis.* correxit Antonius Volscus.

X. 10. *semisopita.* correxit Heinsius, qui recte corruptelae originem repetivit ex antiquiore scribendi ratione *semisopina.*

---

34) Quodsi longe maior est numerus eorum librorum, in quibus soli vv. XX. 13—248 suppleti sunt quam qui praeter eos etiam epistulae XV exhibent supplementum, id quidem non mirandum est: epistula XX enim duodecim tantum versibus relictis multo magis supplemento indigere videbatur, quam Paridis epistula, quae ipsis vv. 39—142 deperditis non minus vv. CCLXXII exhibebat.

35) Quid de cod. quodam Vaticano sit statuendum, qui teste Heinsio vv. ep. XV. 39—142 exhibet, adhuc incertum est. qualis in hoc libro ultimae epistulae sit condicio, silentio praeterit Heinsius, unde colligendum esse videtur eum librum ep. XV integram, mutilam *XX exhibere.*

XIV. 18. *ossa.* corr. Naugerius.

XVIII. 118. *peccas.* corr. Heusingerus.

Quibus locis procedente quaestione fortasse inveniemus alios addendos, in quibus adhuc nemo effendit.

§. 2.

Cum igitur viderimus libros omnes ex uno eodemque manasse achetypo, iam inquirendum est, quaenam inter singulos intercedat ratio. cum vero id unum iam satis constet inter viros doctos, Parisinum s. IX (P) reliquis omnibus longe antecellere, priusquam eum cum ceteris comparemus, principis huius libri condicionem accuratius describamus. nihil enim adhuc noveramus de ratione, qua aut codicis P aut archetypi eius librarius in textu exarando usus est scribendique errores et graviores et leviores silentio praeteriti ab editoribus, tamquam P omnia ita exhiberet, ut leguntur in editionibus. verum horum mendorum numerus in P haud minor est quam in aliis libris. cumque eorum certa possint distingui genera, ex quibus facile adparet, quasnam librarius in textu scribendo secutus sit rationes, nemo puto hanc quaestionem supervacaneam existimabit.

Lubenter P omittit voces, si aut eaedem aut similes praecesserunt:

VII. 10. *quaeque*] *quae*
75. *quid di meruere*] *quid meruere*
101. *venio, venio tibi*] *venio tibi*
VIII. 73. *memini, memini tamen*] *memini tamen*
IX. 32. *nubere, nube pari*] *nubere pari*
70. *huic victor victo*] *huic victo*
XII. 147. *quidquid*] *quod.*

Quae cum ita sint, iure novissimus editor A. Palmerus[36]) IV. 111 revocavit emendationem Heinsii *nisi si manifesta,* ubi P habet *nisi manifesta,* ceteri *nisi nos manifesta* [37]); neque improbandum quod idem Palmerus VI.

---

[36]) „P. Ovidii Nasonis Heroides XIV. Edited by Arthur Palmer, M. A." London etc. 1874.

[37]) De formula Ovidiana *nisi si* conf. Heinsii notam. pronomen *nos* hoc loco languidum est.

131 proposuit: *hanc, hanc, o demens* etc.; in P est *hanc o demens* unius verbi lacuna; reliqui *hanc tamen, o demens*[38]) praeter edit. ϱ, quae cum exhibeat *hanc, o tu demens*, item nil nisi lacunae illius supplementum servavit.

Plerisque locis P in mediis vocibus omittit syllabas:

III. 81. *contempta*] *compta*
91. *tristitiae*] *tristiae*
VIII. 119. *extinguar*] *exuar*
IX. 49. *temeratam*] *temeram*
101. *insignitus*] *insignis*
XII. 67. *ilicis*] *ilis*
144. *propior*] *prior*
XIII. 35. *Phylaceides*] *phyleide*
XV. 113. *convivia*] *convia*
153. *Clymenen*] *clymen*
XVI. 65. *promittit*] *promitt* (*ti* insertum a m. 2.)
84. *erubuique*] *eruique* (*ub* addidit m. 2.)
XVII. 81. *memores*] *mores*
XVIII. 166. *gemini*] *gemi*
IX. 10. *conciperere*] *concipere*
X. 71. *morerere*] *morere*
XV. 50. *abstraherere*] *abstrahere*
XII. 207. *praedicere*] *praedice.*

---

[38]) Si corrector quidam quaerebat, quo expleret lacunam illam, extantem in archetypo, sponte sese offerebat particula *tamen*, quae plurimis epistularum locis, ubi versus a vocabulo monosyllabo incipit, alterum locum obtinet e. g. *hanc tamen* VIII. 51; *hoc tamen* VII. 192; *haec tamen* IX. 119; *his tamen* VII. 89; *quod tamen* VI. 61; *quid tamen* III. 83, XV. 107, XVIII. 83, XX. 213; *quo tamen* VII. 38; *qua tamen* XV. 113 Heins.; *tu tamen* XI. 121; *te tamen* VIII. 97; *non tamen* V. 83, VII. 27, X. 144, XIV. 13, XVI. 25, 62; *ne tamen* XIX. 129, 213, XX. 231; *nec tamen* III. 99, IV. 95, XII. 117, XV. 39 Heins., 267; XVI. 35, 197; XVII. 99, 145; *sed tamen* III. 4; XII. 142, XIV. 21, XV. 77 Heins., 132, XIX. 219, XX. 227; *si tamen* IV. 31, XV. 9, XIX. 32; *sic tamen* XVIII. 181; *sis tamen* XVIII. 91; *et tamen* II. 100, VIII 54, XIV. 36; *est tamen* XVII. 24; *sum tamen* VII. 102; *dum tamen* XIII. 149; *cum tamen* VIII. 103, XX. 151; *ut tamen* XVI. 109; *per tamen* III. 103; *tot tamen* III. 50; *spes tamen* XVIII. 207; *bis tamen* XX. 71.

Quos locos si consideraveris, omni ex parte arridebit XVI. 260 coniectura Palmeri[39]), quam nuper repetivit Otto Muellerus[40]):

Et dabo cunct(at)as; in P est *cunctas*, reliqui corrupte *coniunctas* (*devinctas* L. Muellerus, quod cum sensui conveniat, recepit Riesius).

Contra tribus locis voces integrae syllabis insertis auctae:

XIV. 101. *mare*] *manere*
XV. 87. *partibus*] *parentibus*
XVI. 221. *fruar*] *fruatur*.

Huius generis mendis frequentia non multum cedunt ea, quae in verbis male distinctis versantur:

III. 87. *Aeacide sed*] *aeacides et*
IV. 147. *reseranda mariti*] *reserenda amanti* (ortum est vitium ex scriptura *reserend amariti*)
V. 72. *ungue rigente*] *unguerit_gente*
VI. 114. *nata Thoante*] *notat hoante* (corr. a m. 2.)
VII. 94. *dedere meis*] *deberem_eis* (d superscr.)
169. *dabit aura viam*] *debitar aviam* (corr. a m. 2.)
IX. 129. *sublimis ut*] *sublime sub*
X. 102. *dextera parte*] *dexter aperte* (corr. a m. 2.)
XIII. 86. *offenso limine*] *offeris olimina* (corr. a m. 2.)
126. *vela vitante*] *vel_habitante* (v superscr.)
XV. 39. *crede sed* (?)] *credis et*
224. *adnumerabor ego*] *adnumerabo rogo* (corr. a m. 2.)
XVIII. 206. *sospite sospes*] *sospites_hospis* (*e* a m. 2.).

Frequens etiam syllabarum transpositio:

III. 97. *flexit*] *felix*
VII. 70. *fulmina*] *flumina*
XII. 15. *anhelatos*] *hanelatos*

---

39) Praef. p. XL.

40) Conf. Hermes XII. 304, ubi Muellerus aliam quoque Palmeri emendationem (*XVI. 259. sapiam*) repetit; conf. Palmeri praef. p. XL.

XIII. 71. *milite*] *limit &*
78. *sanguis*] *sagnis* (corr. a. m. 2.)
XV. 7. *celaverit*] *celeravent* (corr. a. m. 2.)
262. *is innumeri*] *in isnumeri* (corr. a m. 2.)
XVI. 102. *nimis*] *minus*
XVII. 15. *felix i*] *flexi* (corr. a m. 2)
50. *Icarium*] *Iacrium*
133. *limes*] *miles* (*l limes* m. 2.)
XVIII. 47. *minimum*] *nimium* (*l minimum* m. 2).

Duae voces in unam contractae aut singulae distractae in duas his locis inveniuntur:

VI. 54. *forti vita*] *fortuna* (corr. m. 2)
59. *sed dent*] *sedent* (corr. m. 2)
VII. 63. *age te*] *agite*
XV. 205. *te nec*] *tenet* (corr. m. 2)
XVI. 230. *num minus*] *numinis*
XIX. 93. *quod tu vis sit*] *quod* ||||| *iussit*
XI. 10. *spectasset*] *spectat sed*
XV. 99. *menelaus*] *mente_laus.*

In singulis litteris aut omissis aut positis ita peccatum, ut litterae et desiderentur ante pares, et additae sint pares, ubi non desiderantur:

VIII. 36. *succubuit telis*] *succubui telis* (corr. m. 2.)
X. 86. *quis scit*] *qui scit*
XIV. 53. *est tibi*] *est ibi* (corr. m. 2)
XVI. 71. *utque ea*] *utqu ea* (corr. m. 2)
II. 73. *titulo signetur*] *titulos signetur*
VI. 76. *ira mixtus*] *iram myxtus*
107. *Tanai Scythiaeque*] *tanais scytiaeque*
IX. 9. *si creditur*] *sic creditur* (*c* erasa)
12. *humili sub*] *humilis sub*
X. 148. *tua facta*] *tuaf facta*
XIX. 107. *Cydippe timeo*] *cydippet timeo.*

Rarissime peccatum in exarandis nominibus propriis. et plane extrusa nomina propria non plus quinque locis:

V. 75. *Helene*] *bene* (m. 2: *de te*)
VIII. 12. *Graias*] *gradus* (corr. m. 2)

XII. 30 et 203. *Graia*] *grata*
XV. 99. *Menelaus*] *mente laus.*

Gravius corrupta nomina propria his locis inveniuntur:
IX. 65. *Maeonia*] *monia* (corr. m. 2)
XI. 13. *Sithonio*] *titonio*
XII. 27. *Scythia*] *sycia*
248. *Haemonios*] *ononios* (m. 2: *emonios*)
XVIII. 133. *Calyceque Hecataeone* (?)] *ceace et aueone.*

Certe magna in eo posita est virtus huius libri, quod nomina propria, quae in omnium temporum codicibus notum est foedissimis mendis deturpari consuevisse quorumque in Heroidibus ingens extat numerus, tanta cum fide integra servarit. adsentiendum igitur Riesio, qui VIII. 31 sola nisus codicis P auctoritate, qui habet *aecio*, Nasoni vindicavit formam *Aeacius* (conf. Colum. X. 175), cum ceteri libri praebeant omnes *aeacidae.*

Restat, ut monstra quaedam lectionum e P enotentur, velut

VIII. 9. *surdior*] *surchos* (corr. m. 2)
109. *rerumque*] *nerus que* (r supra)
XI. 76. *fraxina*] *fraxincies* (corr. m. 2)
XIII. 75. *vivere*] *uoluore* (corr. m. 2).

§. 3.

Hactenus de scribendi ratione, qua usus est, qui exaravit P vel eius archetypum: iam videamus, quaenam inter ipsius P et ceterorum codicum textum intercedat ratio. et primum quidem variarum lectionum molem vel obiter perlustranti sponte sese offerunt loci plurimi, ubi ceterorum codicum aut omnium aut certe plurimorum consensus discrepet a P exhibitis lectionibus aut peioribus aut certe non melioribus. qua ex re iam nunc quidem colligendum est Heroidum textum integrum extare in solo P, reliquos codd. omnes quodammodo cohaerere cum exemplari quodam, cuius textus correctoris vel interpolatoris nescio cuius subiit recensionem. qua de recensione iam antea quaedam circumferebantur eaque, cum optimorum

librorum accuratior notitia suppeteret nulla, aut falsa aut certe minus accurata. et tangit quidem eam rem Merkelius, cum praef. p. VIII loquatur de interpolatione quadam saec. XII, quae cum omnes libros insederit, redundarit in P exsculpta meliore scriptura et in G in margine adscripta legatur. quorum altera pars falsa est: nam quae in P interpolata sunt a m. 2, ea in G non in margine extant, sed ex ipso textu et huius libri et aliorum plurimorum cum G consentientium deprompta sunt.

Iam vero ut argumentis confirmentur, quae modo statuimus, in tabula exponamus scripturas codicis P comparatas cum iis scripturis interpolatis, quae codicis G cum aliis consensu traduntur. cumque P plerumque veram quidem scripturam sed leviter adflictam praebeat scribendi vitiis §. 2 expositis, etiam genuinas scripturas adponamus: adparebit enim correctorem illum, quem statuimus, usum esse exemplari codicis P archetypo simillimo et aliquot locis scripturas in archetypo leviter corruptas religiose transscriptas esse a librario codicis P, a correctore autem emendandi ut cupido ita ignaro magis etiam esse corruptas.

Asterisco indicabuntur loci, ubi textus recensiti scripturae a m. 2 extant in P.

Scriptura genuina	Codex P	Exemplar recensitum
II. 62. e merito	est merito [41])	*ex merito
103. te iam	(idem)	iam te
142. praebuerunt	"	*praebuerant
III. 29. Laertaque	"	Laerteque
55. repellas	"	repellar
95. bellum erat	"	*bello erat
149. a	"	at
154. iure	"	more
IV. 1. salute	"	salutem
111. nisi si manifesta	nisi manifesta	nisi nos manifesta
111. negamus	(idem)	negemus
V. 8. indigno	"	indigne
77. nunc tibi conveniunt	"	*nunc tecum veniunt

[41]) Qui scripsit archetypum, praepositionem *e* confudit cum compendio *ē* (= *est*); idem vitium est in P XVI. 25: est facto pro e facto.

Scriptura genuina	Codex P	Exemplar recensitum
VI. 65. Argo	(idem)	Argon
78. concidat	„	concidet
81. Argolidas	„	Argolicas
82. expectata	„	expectato
83. carmina movet[42])	„	carmine movit
131. hanc, hanc, o demens	hanc, o demens	hanc tamen, o demens
137. refert	referat	*referam
146. perfidiae pretio	(idem)	perfide, quo pretio
VII. 33. ista	„	ipsa
66. Phrygia	„	Tyria
69. dicas	„	dices
116. emo	„	*emi
122. suis	„	meis
164. steterunt	„	*steterant
172. cupies	„	cupias
VIII. 21. pararis	parares, h. e. pararis[43])	parabis
22. numeros	(idem)	*numerum
31. Aeacio	Aecio	Aeacidae
39. egerat	(idem)	gesserat
48. pater	„	*patrem
70. 71. Taenaris	„	*Tyndaris
75. Phoebeque	Phoebique	flebatque
IX. 18. Atlans	(idem)	*Atlas
47. parum	„	parum est
49. Augen	(rasura)	*anguem
55. totiens terris errator in isdem	totiens terris erratur[44]) iu isdem	totiens qui terris errat in isdem
66. putes	(idem)	pudet
94. Cerberos	„	Cerberus
96. dives ab ipsa	„	ditior ipsa
114. feri	„	ferae
120. et venit	„	en venit
153. Agrios	Acrios	acrior
X. 10. prensuras	(idem)	pressuras
16. e somno	„	a somno
30. tenta	„	tensa
71. victor	„	*victus
85. alat	„	alit

---

[42]) Non debebant editores reiecta hac codicis P scriptura recipere in textum coniecturam *carmina novit*. conf. Ovid. Met. IV. 20; Virg. Aen I. 262, VII. 641 (= X. 163).

[43]) Conf. qnae extant in P III. 120 *sustenuisse*, IV. 110 *Perithoi*, VI. 139 *fratres*, VII. 160 *senes*, X. 64 *siquar* etc.

[44]) H. e. errator; conf. XVI. 50 *Iuve*, XVII. 119 *natatur*, XVIII. 114 *suspectu* etc.

Scriptura genuina	Codex P	Exemplar recensitum
99. Androgeos	„	Androgeus
112. aut	„	at
122. unguet	„	iunget
127. narraris	„	narrabis
XI. 44. tecto	„	tectus
91. plangi	„	*planxi
125 in vulnera	„	in funere
XII. 7. iuvenalibus	„	*iuvenilibus
9. Argo	„	Argon
29. Aeeta	rasura; m. 2: Oetha	*Oeta
39. dicitur interea tibi lex	dicitur interea tibi rex	dixerat interea tibi rex
71. exciderunt	(idem)	*exciderant
75. iuvet	iubet [45]	*iuvat
99. mirabile	(idem)	miserabile
110. quodlibet	„	quod licet
139. effundit	„	effudit
185. tam-quam	nam-quam	nam-quod
205. potentis	(idem)	*potentem
XIII. 29. ut rediit animus	„	utque animus rediit
81. quam pugnat amare	„	*qui pugnat amore
135. Troasin	Troas [46]	Troadas
142. ista fac arma	(idem)	arma fac ista
145. exuet haec	„	exuet et
XIV. 11. ensem	„	ense
45. loquar	„	loquor
64. piae	„	piam
65 quo	„	quid
72. expulerunt	„	*expulerant
93. in umbra	„	*in unda
XV. 13. recepta	„	recepta est
99. annis	„	armis
116. iste	„	ille
125. mero	meo	meam
187. si sunt	(idem)	si sint
XVI. 38 nota mihi	„	nota tibi
74. tam per longas	„	per tam longas
98. placitis	„	placidis
157. aut	„	at
186. vi-fuit	„	ut-foret
232. Idyia	Idiia	ipsa
252. suis	(idem)	tuis
260. cunctatas	cunctas	*coniunctas
XVII. 35. iuvenalibus	(idem)	iuvenilibus
95. nunc	„	tunc

[45]) Conf. XIII. 50 *Iobi*, 67 *bitaris*, 151 *berba* etc.

[46]) Excidit *in* propter *invideo*, quod proxime sequitur.

Scriptura genuina	Codex P	Exemplar recensitum
102. di magni	"	*dis magnis
145. navisve	"	navisque
XVIII. 35. summo-tecto	"	*summa-turri
102. agis	"	*agas
125. an mare	"	*aut mare
151. 152. sternuit	"	*stertuit
165 metuas	"	metuis
171. clam	"	tam
XIX. 23. nisi uti	"	nisi quod
60. rear	"	reor
78. in tua	"	sub tua
135. remoto	"	removi

En, tabula ipsa loquitur; tam similes enim rationes adhibitas videmus in singulis scripturis recensendis, ut sponte adpareat correcturas vel potius depravationes illas ex eadem prodiisse officina: conf. e. g. inter se II. 142, VII. 164, XII. 71, XIV. 72; porro X. 85, XII. 75, XIV. 45, XVIII. 165, XIX. 60; item IV. 111, XV. 187, XVIII. 102; IV. 1 et XIV. 11; item III. 29, VI. 65, IX. 18, 94, X. 99, XII. 9 (adamabat corrector vocabulorum graecorum formas latinas); VIII. 21 et X. 127; XII. 7 et XVII. 35; denique locos, ubi leviores archetypi corruptelas integras servavit P, magis etiam corrupit corrector: IV. 111, VI. 131, IX. 153, XII. 39, XV. 125, XVI. 260.

Quo tempore corrector ille Heroidum textui infelicem istam navarit operam, eam tantum in partem accuratius definiri potest, ut recensionem illam saeculo XI iam perfectam fuisse statuamus, cum in codicem E s. XI maximam partem irrepserit. attamen vix errabimus, si textum Heroidum non ante saeculum illud recensionem subiisse ponamus.

Cuius recensionis scripturae extant in plerisque libris ad unam omnes atque primum quidem in cod. G s. XII; alii codices magnam partem illarum lectionum praebent. cum vero codicum rationes adhuc minus accurate essent exploratae, falsa illa extitit opinio eos universos in duos esse distribuendos ordines: unum eorum, qui integrum exhiberent textum — huius ordinis autem extare solum P — alterum

eorum, qui textum haberent interpolatum; hoc ordine autem comprehendi reliquos omnes. quae opinio vel apud novissimum editorem Palmerum legitur praef. p. XXV: *In fact, the true division of the MSS. is into two classes. They are — first*, *the Puteaneus; second*, *all other manuscripts.* cum autem inter secundae illius classis libros antiquissimus esset G, haud difficulter erat ratio inventa critices in Heroidibus tractandae: scilicet quibus locis P deficeret, iis in G esse acquiescendum utpote optimo inter peiores.

Verum si accuratius inspicimus variarum lectionum copiam, non potest nos effugere extare libros, in quibus pars tantum lectionum illarum inveniatur, quique pluribus locis, qui in G et aliis libris a correctore illo tractati sunt, genuinam lectionem cum P exhibeant. quod si valeret de G, certe nos non miros haberet. verum ipsorum saeculorum XIII. XIV. XV extant libri, quos ex parte tantum insedit illa recensio, ex qua G saec. XII totus manavit. qui libri etiam aliis locis maiorem cum P quam cum G prae se ferunt similitudinem. quid igitur statuendum? respondet ad hanc quaestionem auctor adhuc superstes, scilicet ipse codex P, et ea quidem condicione, qua utitur inde a s. XII, quo saeculo iam supra diximus manum alteram in hunc librum transscripsisse lectiones exemplaris recensiti primariis scripturis plerumque exsculptis. faciamus igitur codicem quendam fluxisse ex P post saec. XII: iam habemus exemplar, cuiusmodi libros modo diximus extare: qui cum recensionem illam ex parte tantum exhibeant, reliquis locis huc pertinentibus cum P genuinum praebent. tales autem libros quis non videt nequaquam adscribi posse codicis G familiae? medium enim tenent inter familiam priorem et alteram. quamquam vero ex ipsa codicis P condicione modo exposita adparet ea, quae disputavimus, non vanam esse hypothesin, tamen ne quis certiora argumenta desideret, iam accuratam de codicibus illis quaestionem instituamus.

§. 4.

Sunt autem libri hi: E V f $t\alpha$ $e\gamma_1$ d σ v_1 v_3 g_3 γ_2. e quibus solus E codice G vetustior est, V eiusdem aetatis, re-

liqui omnes recentiores. iam primum quidem recensebimus eos locos, ubi, cum G exhibeat scripturas exemplaris recensiti (conf. tabulam), ex his libris aut aliquot aut singuli genuinas lectiones cum P praebent.

II. 62. *e merito*] ita E *est merito* P *ex merito* G ω[47])
103. *iam te* P $v_3 \gamma_2$ *te iam* G ω
142. *praebuerunt* P f t α d σ *praebuerant* G ω
III. 95. *bellum* P σ *bello* G ω
149. *a* P *ah* t γ_1 d *at* G ω
154. *iure* P E f *more* G ω
IV. 1. *salute* P e *salutem* G ω
111. *negamus* P E f e γ_1 d γ_2 *negemus* G ω
V. 4. *ipsa* P t σ *ipse* G ω
77. *nunc tibi conveniunt* P f t e σ *nunc tecum veniunt* G ω
VI. 65. *Argo* P E g_3 *Argon* G ω
78. *concidat* P σ v_3 g_3 *concidet* G ω
81. *Argolidas* P e *Argolicas* G ω
82. *expectata* P σ *expectato* G ω
83. *carmina movet* (m. 2 *movit*) P *carmina movit* t γ_2 *carmine movit* G ω
137. *refert*] ita E d v_1 g_3 *referat* P f *referam* G ω
146. *perfidiae pretio* P E *perfide quo pretio* G ω
VII. 33. *ista* P f t α e γ_1 v_1 v_3 g_3 *ipsa* G ω
66. *Phrygia* P f α γ_1 v_3 g_3 *Tyria* G ω
69. *dicas* P f g_3 *dices* G ω
116. *emo* P f α γ_1 *emi* G ω
122. *suis* P f γ_1 v_3 g_3 γ_2 *meis* G ω
164. *steterunt* P f d *steterant* G ω
172. *cupies* P γ_1 σ v_3 g_3 *cupias* G ω
VIII. 21. *pararis*] *parares* P f *parabis* G ω
22. *numeros* P d *numerum* G ω
39. *egerat* P f α σ γ_2 *gesserat* G ω
75. *Phoebeque*] *Phoebique* P f *phoebiti* g_3 *flebatque* G ω

---

[47]) Siglo ω indicatur ceterorum codicum aut omnium aut plurimorum consensus.

IX. 47. *parum* Pγ_1 dγ_2 *parum est* Gω
49. *Augen* (Pam. 1?) v_3 *anguen* f *anguem* Gω
66. *putes* P *putent* σ *pudet* Gω
94. *Cerberos* Pfg_3 *Cerberus* Gω
96. *dives ab ipsa* Pfαeγ_1 dg_3 *ditior ipsa* Gω
120. *et venit* Pt$\sigma$$v_3$ *en venit* Gω
153. *Agrios*] *Acrios* Pf *acrior* Gω
X. 10. *prensuras* P$\alpha\gamma_1$ dv_1 $v_3\gamma_2$ *pressuras* Gω
16. *e somno* PVγ_1 $g_3\gamma_2$ *a somno* Gω
30. *tenta* PVf$\alpha\sigma$$g_3$ *tensa* Gω
71. *victor* Pv_3 *victus* Gω
85. *alat* P$\alpha\sigma$ (*alta* g_3) *alit* Gω
99. *Androgeos* Pαeγ_1 dγ_2 *Androgeus* Gω
122. *unguet* Pv_3 *iunget* Gω
127. *narraris* P$\alpha\sigma$$v_3$ *narrabis* Gω
XI. 44. *tecto* PVeγ_1 dσ *tectus* Gω (nisi quod G scribendi errore praebet *tectis*)
91. *plangi* Peγ_1 dσ *planxi* Gω
XII. 99. *mirabile* Pγ_2 *miserabile* Gω
110. *quodlibet* Pg_3 *quod licet* Gω
139. *effundit* P$\alpha\sigma$$g_3$ *effudit* Gω
185. *tam-quam*] ita d$\sigma\gamma_2$ *nam-quam* Pγ_1 g_3 *nam quod* Gω
205. *potentis* P *potentes* f *potentem* Gω
XIII. 29. *ut rediit animus* Pγ_1 g_3 γ_2 *utque animus rediit* Gω
81. *quam pugnat amare* P *quam pugnat amore* g_3 *qui pugnat amore* Gω
142. *ista fac arma* Pt$\alpha\gamma_1\gamma_2$ *arma fac ista* Gω
XIV. 43. *violenti* Ptαeσ *violenta* f *violentaque* γ_2 *violentia* Gω[48])
45. *loquar* PVf$\sigma$$g_3$ *loquor* Gω
65. *quo* PVd *quid* Gω
72. *expulerunt* Pfσ *expulerant* Gω
XV. 13. *recepta* Pfeγ_1 dσ *recepta est* Gω

---

[48]) Fuerat in archetypo *violent*$\overset{a}{i}$.

99. *annis* P V α e d σ v_1 *armis* G ω
116. *iste* P f σ g_3 γ_2 *ille* G ω
187. *si sunt* P f t γ_1 d σ v_3 *si sint* G ω
XVI. 38. *mihi* P f t α γ_1 d σ g_3 γ_2 *tibi* G ω
74. *tam per longas* P f t α γ_1 d v_1 v_3 g_3 *per tam longas* G ω
98. *placitis* P f α e γ_1 d σ g_3 γ_2 *placidis* G ω
157. *aut* P V σ *at* G ω
186. *fuit* P α g_3 *foret* G ω
252. *suis* P f α γ_1 d v_1 g_3 *tuis* G ω
XVII. 35. *iuvenalibus* P g_3 *iuvenilibus* G ω
95. *nunc* P f α σ g_3 v_3 *tunc* G ω
102. *di magni* P α σ g_3 *dis magnis* G ω
XVIII. 102. *agis* P v_1 g_3 *agas* G ω
125. *an* P f α *aut* G ω
171. *clam* P α v_3 γ_2 *tam* G ω
XIX. 23. *nisi uti* P *nisi utque* g_3 *nisi quod* G ω
60. *rear* P f t α σ g_3 v_3 *reor* G ω
78. *ad tua* P t α γ_1 σ v_1 γ_2 *sub tua* G ω
135. *remoto* P α d γ_2 *removi* G ω.

Videmus igitur extare libros, qui a codicis G familia plane separandi sunt quique redeunt ad exemplaria, qualis est P inde a saec. XII: intrudebantur enim in libros, qui integrum praebebant textum, aliquot locis scripturae exemplaris recensiti; alii loci integri relinquebantur. fuerunt igitur horum librorum archetypi puriores quam G propriusque ad P accedebant. quam ipsam ob rem speramus nos operae pretium facturos esse, si horum codicum rationes proxima sectione singulatim accuratius exponemus. videbimus autem eos praeter antiquissimum codicem E, ad quem infra redibit sermo, etiam aliis de causis dignos, qui diligentius tractentur.

§. 5.

Inter eos libros insignem obtinet locum cod. σ, qui ob innumera scribendi vitia gravissimasque interpolationes adhuc a nemine dignus habitus est, qui accuratius exploraretur. attamen hic liber, ni omnia fallunt, ad exemplar redit

antiquius quam ceteri omnes. solus enim exhibet vv. ep. II. 18. 19; quos versus iam in ipso P deesse adhuc non innotuerat putabantque eos inde a cod. G aetate demum deesse. cum vero hi vv. iam ante saeculum IX exciderint ex exemplari, ex quo cum P fluxere omnes, σ autem eos praebeat solus, sponte adparet hunc librum redire ad archetypum ipso cod. P vetustiorem. at dicet aliquis tale nihil ex ea re colligi posse: omisisse enim etiam codicis σ archetypum illos versus eosque a grammatico quodam fabricatos postea suppletos esse. verum hi versus nequaquam interpolatorem olent. versus interpolati enim in Heroidibus facile eo ipso cognoscuntur, quod aut tritissimis poetae formulis constant aut plane ab eius dicendi consuetudine abhorreant. in v. 18 autem formula exoriendi *cum prece* ut nusquam extat in Heroidibus, ita invenitur Metamorphos. VI 161. *Cum prece tura pia* etc. conf. etiam Fast. VI. 251: *In prece* Trist. 1. 3. 41. *Hac prece.* porro *turicremus* uno quod sciam praeter hunc loco apud Nasonem legitur Art. Am. III. 393; denique *devenerata focis* in altera pentametri parte ad exemplar non Ovidianum sed Tibulliannm usurpatum est: I. 5. 14 *deveneranda mola.* si igitur v. 18 interpolatori tribuitur, is certe doctissimus et litteratissimus vir fuisse putandus est, qui Ovidium et Tibullum totos memoria tenebat. contra Nasonem ipsum plurima e Tibullo deprompsisse notissimum est. versus 19 autem origo Ovidiana vel eo proditur, quod ab eodem verbo incipit ac v. 17. hic illic enim poeta, si quae vivide descripturus est, duorum distichorum continuorum versus priores ab uno eodemque verbo exorditur. conf. e. g. III. 47 et 49, IV. 37 et 39, XIII. 113 et 115, XV. 123 et 125 cett. quem usum omnino non verisimile est ab interpolatore animadversum esse. quam ob rem cod. σ revera vv. 18. 19 genuinos solus servasse videtur. verum alii insuper extant loci, quibus σ vincit Parisinum aut solus aut paucis adsentientibus: nimirum de iis tantum sermo est locis, ubi apertas P exhibet corruptelas:

II. 142. *libet* σ *iuvat* P G ω

III. 30. *blandae* σ *blandas* P G ω

VI. 83. *meritisve* σ (solus) *meritis* P *meritisque* G ω
109. *aesonide* σ *aesonides* P G ω
IX. 87. *cupressifero Erymantho* σ *in cupressifero Erymantho* P G ω
129. *sublimis ut*] *sublimis ab* σ *sublime sub* P G ω
X. 129. *sola tellure* σ (solus) *solam tellure* P G ω
XII. 118. *tamque nocens* σ *iamque n.* P G ω
185. *tam tibi* σ *nam tibi* P G ω
XIV. 5. *demittere* σ *dimittere* P G ω
XVI. 245. *prosequar* σ *persequar* P G ω
XIX. 37. *placitas* σ *placidas* P G ω.

Quamquam autem huius libri archetypus locis aliquot purior erat quam ipse P, tamen nonnullis locis arcta eius cum hoc codice evincitur adfinitas. iam supra (§. 4) vidimus cod. σ cum P locis plurimis genuinum praebere contra G. sed magis etiam haec adfinitas adparet ex locis, ubi σ aut solus aut paucis adsentientibus in corruptelis cum P consentit:

IV. 155. *relinquit*
VII. 4. *novimus*
153. *quod*
IX. 20. *cumulus*
XI. 67. *frugibus*
XII. 126. *Trinacriae*] *Tinacriae* P *Tenacriae* σ
XVII. 190. *mittit.*

Fuit, ut vidimus, huius libri archetypus vetustior quam exemplar, ex quo cum P fluxere omnes; fuit aliquot locis purior quam P, plerisque purior quam G, ceterum cod. P similis: ex qua archetypi praestantia quid hoc tempore lucrari possimus, cum extet liber foedissimis posteriorum temporum mendis inquinatus, postea videbimus, quod idem de reliquis libris valeat, in quibus nunc quidem versatur disputatio: in praesentia enim tantummodo vestigia antiquae originis colliguntur, quae in libris illis emergunt.

§. 6.

Iam de schedis Vindobonensibus (V) quid iudicandum sit, videamus. quibus quid rei sit cum exemplari recensito,

iam expositum est; VII enim locis ab eius scripturis liberae sunt. sciendum autem de his locis, X. 10, XI. 91, 125, XII. 7, 9, 139, XVI. 98, 232, XVII. 35, 95, 102, 145 et de omnibus huc pertinentibus, qui inveniuntur in epp. II—IX, quae est schedarum condicio, hoc tempore iudicari nequire. certis tamen evincitur argumentis huius fragmenti archetypum fuisse simillimum cod. P et codice G vestutiorem. V enim nullum habet versum, qui non adsit in P; hoc autem de nullo alio libro valet. desunt ergo ut in P vv. XIV. 62. 113. XVII. 1—2.

Ep. XIV locus in P ita est comparatus, ut versus, qui post 61 fuit exaratus, erasus et in locum eius a manu 2 saec. XII suppletus sit hic:

Quae tamen externis danda forent generis.

quid sub rasura lateat, edocent nos VG γ_1, qui post 61 exhibent v. 114 et G ita quidem, ut vv. 113. 114 post 112 legantur in textu, quo loco in P desunt. [49])in V vero huius loci ea est condicio, ut vv. 61—64 post v. 60 omissi infra legantur post v. 118 et hunc quidem in modum: 118. 61. 114. 63. 64. 119; vv. 113—114 autem post v. 112 desunt ut in P. utcunque de mirae huius transpositionis origine iudicamus, id tenendum est, versuum 62 et 113 in PV nulla extare vestigia eosque primum emergere in G; quos si accuratius consideraverimus, facile nobis poterimus persuadere Ovidianos esse nequire, verum cum vv. genuini ex archetypo excidissent, saec. XII fabricata esse illa supplementa, quibus nos primus beavit G. inprimis autem v. 113:

Ille ferox solus solio sceptroque potitur

miserum redolet versificem. in hoc versu enim vix unum invenitur verbum, quo non offendamus. iam primum quidem quis est *ille ferox?* praecedunt haec: *bella pater patruusque gerunt; ille* igitur est pater, cum tamen e sensu nonnisi de patruo cogitari possit. deinde plane ridiculum est *solus potitur;* an plures una solio quodam potiri possunt? sufficiebat haud

---

[49]) Cuius transpositionis originem apte explicat Muellerus de re metrica p. 45 sq.

dubie *potitur*, *solus* autem metri explendi causa additum est. denique miserrimum illud *potītur*, quod in toto Ovidio frustra quaeres[50]) quodque Loersius[51]) frustra mutavit in *potitus*.

Alter versus ut non plane ineptus tamen non est ex optimis notandusque polysyllabus pentametri exitus, qui in toto carminum amatoriorum corpore ter tantum invenitur[52]). cumque accedat, quod hic v. ex codicum ratione pari utitur condicione ac v. 113, aeque atque ille e textu movendus et lacunarum signa adhibenda sunt.

De altero loco autem, quem supra commemoravimus (XVII. 1—2), infra copiosius agemus videbimusque, hic quoque grato animo nos uti posse ope codicis V.

Praeter illos locos librorum P V eo quoque evincitur adfinitas, quod V aliquot locis solus eadem quae P exhibet menda.

X. 86. *saevas* om. P; V non lacunam quidem praebet sed aliud quoddam verbum, quod extricari nequit, pro *saeva* suppletum.

XI. 28. *minimos*] *animos* P, ad quod proxime accedit, quod est in V: *avidos*.

XII. 30. *corpora Graia*] *corp. grata* P V

XVI. 15. *ficto*] *facto* P V

XVII. 169. *caelo*] *caes* P *caelis* V, quod cum supra viderimus in cod. P plerumque omitti medias syllabas, recipiendum esset, nisi obstaret v. 168.

quae cum ita sint, edocere nos potest V, quid. X. 21 in P a m. 1 scriptum fuerit. nunc enim extat *clamanti*, sed *nti* a m. 2; servat V scripturam primariam quamvis vix genuinam *clamavi*. XV. 117 in P est *quidnam*, sed *nam* in rasura a m. 2; reliqui: *quid ne*, *quid non*, *quid enim*. genuinum servat solus V: *quidni*, quod tamen iam edebatur ex Heinsii coniectura. denique quae commemorentur dignae

50) Conf. Lachmann l. c. p. 5; Eschenburg l. c. p. 20.

51) Praefat. ad Horat. p. 222.

52) Her. XV. 184, XVI. 16, XVIII. 202.

sunt aliquot scripturae, quibus firmantur lectiones codicis P adhuc ignotae:

XIV. 65. *quo bellica tela* (conf. tabulam)
131. *lassa*; quod unice verum est; ridiculum enim Hypermestram ultimum distichon *lapsa* manu scribere, ut volunt editores. ceterum conf. XVI. 266: *littera iam lasso pollice sistat opus*; XIX. 241: *longior infirmum ne lasset epistula corpus*. XX. 245: *iam satis invalidos calamo lassavimus artus*.

XVI. 220. *terra procul* PV (vulgo *precor*); de hac lectione diligentius deliberandum.

XVIII. 70. *lente morator* PV. quod interpolatum videtur.

§. 7.

Accedimus ad tractandum codicem g_3, quem nunc vehementer doleo me non petivisse ad perscrutandum una cum $G g_1 g_2$ ab ill. bibliotheca Guelferbytana. quaestione enim longius procedente ex collatione Heusingeriana cognovi in g_3 inter plurimarum interpolationum aliarumque corruptelarum quisquilias latere vestigia archetypi cuiusdam cod. P simillimi. reprehenditur g_3 ab Heusingero semel atque iterum propter magnum numerum lacunarum: ignorabat autem vir doctus easdem lacunas extare in P. quas quamquam per se inter codicum vitia numeramus, tamen codici saec. XV virtuti tribuendum, si quaedam vitia singularia communia habet cum P. omittit autem g_3 solus cum P IX. 81, 83; XVII. 23, 24. praeter has lacunas etiam ex aliis corruptelis $P g_3$ maximam partem propriis horum librorum elucet affinitas:

II. 73. *titulos*
IV. 165. *ferox*
VI. 155. *mater materque duorum* ($P g_3$ soli)
VII. 170. *sed levis* (*nunc levis* a m. 2 P; false enotatur ex hoc libro monstrum lectionis *scillevis*)
VIII. 100. *pugnat* ($P g_3$ soli)
XII. 100. *inter constrictas* ($P g_3$ soli)

XIV. 22. *ultimā pars noctis primaque lucis erat* (P g_3 soli)

XV. 125. *mero*] *meo* P; *meo am* g_3 *meam* cett.

163. *fortiter esset* (P g_3 soli)

XVI. 192. *fuit*

XVII. 156. *erat*

206. *perstet*] *prestet* P *prestat* g_3

XVIII. 33. *facta est*

38. *fallimur* (P g_3 soli).

IV. 27 g_3 solus cum PQ[53]) habet *carpis*; IX. 88, ubi in P primaria scriptura erasa extat a m. 2 *incubat*, illam g_3 (cum *σ*) servare videtur, qui habet *incubuit*, quod tamen non est genuinum. utiliorem operam g_3 affert XIX. 101, ubi in P (quod adhuc non innotuerat) primae manus scriptura erasa in margine adscripta est lectio vulgata codd. Gω tradita *nam scimus ut illo.* in qua cum Parisini auctoritate firmari videretur, adhuc nemo offendit. attamen cum a m. 2 in P extet, in propatulo est eam depromptam esse ex exemplari illo recensito. primitivae vero et fortasse genuinae lectionis vestigia cod. g_3, quae est eius archetypi cum P adfinitas, servasse videtur, cum teste Heusingero pro *nam scimus* praebeat *sic seus.* quibus ex reliquiis quid eliciendum sit, in praesentia ignoro. quod Heusingerus proposuit *sus saevus*, id mirum quantum friget; item abiciendae grammaticorum coniecturae, quae extant in aliquot libris *sic saevus* vel *sic scimus.* restat ut commemoremus cod. g_3 paucisque aliis IX. 160 firmari lectionem *fatis* (*titulis* G, *thalamis* ω), quae haud dubie latet sub corruptela, quae est in P: *eat.* hanc enim in aperto est referendam esse ad archetypum litteris maiusculis exaratum, in quo scriptum erat

FATISĪSIDIATA.

mox cum prior syllaba IS excidisset, legebatur

FATĪSIDIATA,

quod abiit in corruptelam codice P traditam

EAT ĪSIDIATA.

---

[53]) Sciendum scripturas superiores in G non extare; quod idem cadit in omnes lectiones, quae §§. 4—9 afferuntur ex codd. σ V g_3 v_2 etc., cum his §§. demonstrandum sit libros illos differre a G propiusque ad P accedere.

§. 8.

Quaestioni de g_3 ut adiungamus de cod. v_3 disputationem, id in causa est, quod huius libri archetypus easdem videtur exhibuisse lacunas, quas modo vidimus communes esse g_3 cum P, dico omissos vv. IX. 81. 83, XVII. 23. 24. atque v. IX. 81 quidem in v_3 ipso idem est qui in reliquis; pro v. 83 autem legitur hicce:

Coniugis in gremio muliebria pensa trahebas.

prior versus igitur suppletus ex exemplari integro, posterior a grammatico quodam insertus. vv. XVII. 23. 24 autem in codicis v_3 archetypo defuisse inde colligitur, quod in v_3 ipso leguntur inserti inter vv. 20 et 21: fuerunt igitur in archetypo in margine adscripti et postea falso loco irrepserunt. praeter hos locos eo etiam evincitur v_3 ex eodem quo Pg_3 fluxisse archetypo, quod XVII. 156, 206, XVIII. 33 easdem quas illi exhibet corruptelas singulares (conf. §. 7; XVII. 206 *prestet*); praeterea cum P consentit in corrupelis his:

III. 78. *quo* om.
V. 29. *nymphae*
VII. 8. *verba fidemque*
X. 86. *qui scit*
112. *aut*
XII. 203. *grata*
XV. 172. *discendit*
XVII. 26. *saucis*
XIX. 39. *possem.*

porro v_3 his locis contra PG ipsos genuinas servat lectiones:

II. 142. *libet* (conf. σ)
IX. 87. *cupressifero Erymantho* (conf. σ)
129. *sublimis ut* (v_3 solus)
XII. 118. *tamque* (conf. σ).

nec deinde omittendum VIII. 5 v_3 cum σ servare codicis P scripturam primariam *feci*, qua erasa in P adscripsit m. 2 lectionem vulgatam et ut videtur genuinam *renui*; item X. 21 v_3 cum V (conf. §. 6) servat codicis P lectionem primitivam *clamavi*. porro quae consideretur digna est lectio quae est in v_3 (et σ) X. 106 *pressit*. vehementer enim dis-

plicet quod ex solo G editur *texit humum*, quod nullis omnino exemplis defendi potest; in P autem *stravit* extat a m. 2 in rasura[54]). notandum denique XV. 199 v_3 (cum V) servare veteris orthographiae vestigia, cum praebeat *neglegis*. (*negligis* G ω.)

§. 9.

Inter libros s. XIII, quorum hoc loco ratio habenda est, facile princeps est f, qui hisce locis in ipso P corruptis tuetur lectionem genuinam.

III. 30. *blandae* (conf. σ)
IV. 127. *sic meriti* f *si meriti* P G *et meriti* ω
VII. 102. *admissi* f *amissi* P *amisso* G ω
IX. 12. *humili* f *humilis* P G ω

Consentiunt autem P f aperte in corruptelis hisce:

VI. 137. *referat* (P f soli)
VIII. 21. *parares* (P f soli)
75. *Phoebique* (P f soli)
IX. 126. *tegente*
153. *acrios* (P f soli)
XIV. 113. 114 inserti inter 62 et 63 (infra non repetiti); de P conf. p. 54.
XVI. 192. *fuit* (conf. g_3)
XVII. 190. *mittit* (conf. σ).

erasas cod. P scripturas servat X. 21 cum V v_3 (conf. §. 6 et 8) et IX. 88 cum σ g_3 (conf. §. 5 et 7). VII. 84 sola codicis f lectio quam proxime accedit ad P (*ure* P, quod recte revocasse videtur Palmerus; *iure* f *Inde* G *unde* vel *atque* vel *illa* reliqui).

A recensiti exemplaris scripturis hic codex inter omnes maxime liber est: vidimus enim supra §. 4 eum XXXIII locis genuinum exhibere cum P contra G.

---

[54]) Arridet tamen etiam lectio schedis V tradita *tinxit humum*. sed fortasse ex tanta lectionum varietate (*pressit, texit, tinxit, stravit, pulsat*, quod est in e) colligendum est in archetypo fuisse lacunam, cuius supplementa sint scripturae illae. quod si statuimus, lectio genuina haud difficulter indagari potest. nam si ratio habetur formularum a Nasone in fine pentametri adhibitarum, sine dubio scribendum *planxit humum*: conf. Her. XV. 230; Fast. I. 578; IV. 896.

Iam de ceteris, qui huc pertinent, saec. XIII libris et de codd. v_1 γ_2 quaestionem absolvamus. qui libri his locis codd. PG sunt puriores:

II. 142. *libet* d v_1 γ_2 (conf. σ v_3)
IV. 31. *si tamen* e γ_2 *sic tamen* P G ω
VI. 93. *male* α (solus) *mage* P G ω
137. *refert* v_1 (conf. tabulam)
156. *aque viro* e d γ_2 *illa viro* P G ω
VII. 102. *admissi* t (conf. f.)
111. *internas* d γ_1 γ_2 *in terras* P G ω (*heu tirias* c_1)
IX. 9. *velit* t e d v_1 *venis* P G ω
12. *humili* t v_1 (conf. f)
87. *cupressifero Erymantho* α (conf. σ v_3)
129. *sublimis ab* e; conf. σ (hoc proxime accedit ad genuinum, quod est in v_3: *sublimis ut; sublime sub* P G ω)
XII. 63. *aversaque* α *adversaque* P G ω
185. *tam-quam* d γ_2 (conf. σ) *nam-quam* P *nam-quod* G ω
XIII. 13. *mandantis* γ_1 d *mandatis* P G ω
XIV. 5. *demittere* α d (conf. σ) *dimittere* P G ω
XVI. 245. *prosequar* d (conf. σ)
XVII. 135. *iter ante* γ_2 (solus) *iterare* P G ω
XIX. 37. *placitas* α (conf. σ)
62. *totum quin sibi par sit* γ_1 d *totum quin tua pars* *sit* P G ω (*tui* P).

Iam commemorandi loci, quibus hi libri in mendis cum P consentientes maiorem cum hoc libro quam cum G prae se ferunt similitudinem:

III. 90. *sumque* P v_1 (soli)
IV. 155. *relinquit* P e d (conf. σ)
VII. 8. *verba fidemque* P t γ_1 v_1 (conf. v_3)
75. *vel quid meruere* t (unde colligitur in huius libri archetypo ut in P *di* omissum fuisse post *quid* et metri explendi causa additum *vel*)
85. *damnant* P v_1 (soli)
170. *sed levis* P v_1 (conf. g_3)
VIII. 53. *crimine* P α γ_2

IX. 20. *cumulus* P v_1 (conf. σ)
126. *tegente* P e v_1 (conf. f)
145 sqq. ita collocati in v_1: 145. 146. 153. 154. 147—152. 153. 154. 155 etc.; sciendum autem vv. 147—152 in P a m. 1. omissos in margine adscriptos esse a man. recentiori: quod idem valere videtur de cod. v_1 archetypo.
X. 86. *qui scit* P t v_1 (conf. v_3)
XI. 67. *frugibus* P e (conf. σ)
XII. 15. *hanelatos* P v_1 γ_2
126. *Tinacriae* P v_1 (conf. σ)
203. *grata* P e (conf. v_3)
XVII. 206. *prestet* P v_1 (conf. v_3 g_3)
XVIII. 33. *facta est* P t γ_1 v_1 (conf. v_3 g_3).

§. 10.

Haec igitur de libris V f t α e γ_1 d σ v_1 v_3 g_3 γ_2 habuimus, quae disputaremus. iam satis superque putamus demonstratum esse extare libros, quorum praeter PG ratio habenda sit. deprehendimus enim in his libris vestigia archetyporum hic illic ipso cod. P, plerumque cod. G puriorum, plerumque etiam alia ratione cod. P quam G similiorum. omisimus adhuc in disputationem vocare eas Heroidum partes, quae in P deperditae sunt, scilicet I—II. 13, IV. 48—103, V. 97 — VI. 49, XIX. 176—242, XX. iam quaeritur, qua ratione textus tractandus sit partium illarum. agedum festinanter omnes eas partes cod. G auctoritate reiecta ad illorum codicum fidem edamus, a quibus G tot locis victum viderimus! an aliter censendum? mehercle, longe aliter. illud enim tum tantum liceret, si librorum illorum extarent archetypi neque vero codices interpolationibus saecc. XIII—XV foedati. supra vidimus G plerumque victum a recentioribus libris: iam exponendum, quibusnam locis, quae est eius aetas, illis sit melior. iamque ad novum adgredimur textus historiae enarrandae caput disputaturi de interpolationibus saec. XIII ortis et per saec. XIV et XV propagatis. quas mox videbimus maximam partem ex uno eodemque fonte manasse. nam et plerisque locis omnium fere saec. XIII

codicum consensu traduntur et in certa distribui possunt genera, quibus certae correctoris cuiusdam produntur rationes. statuendum igitur Heroidum textum alteram subiisse recensionem adparetque, quam longe iam saeculo XIII textus remotus fuerit a pristina integritate: primum enim fortasse saec. XI ab interpolatore quodam tractatus est, qua de recensione supra disputavimus; quaeque post infelices istas curas integra remanserant, a saec. XIII correctore corrupta sunt. cuius recensionis scripturas non omnes exponemus, cui rei nonnisi in editionis apparatu critico locus esse potest, sed eos locos eligemus, e quibus maxime indoles huius alterius recensionis cognoscitur. quos locos exhibebimus comparatos cum scripturis integris, quae extant in P G: iterum enim eas tantum adhibebimus partes, quae servatae sunt in P, ne in hac quaestione duce careamus certissimo.

Asterisco notabuntur ii loci, quibus huius recensionis scripturae a m. 2 saec. XIII in G adscriptae sunt ita, ut supra vidimus prioris recensionis scripturas a m. 2 s. XII in P adnotatas esse.

§. 11.

Corrector ille saec. XIII id in primis egisse videtur, ne quid lectoribus relinqueretur obscurum. quo ductus studio elegantiora pleraque sustulit eorumque loco reposuit simpliciora. itaque compluribus locis verbis transpositis simpliciorem videmus effectam verborum structuram velut:

II. 75. *rerum turba*] *turba rerum* f t γ_1 g_1
83. *iam nunc doctas*] *doctas iam nunc* e γ_1 d σ γ_2 1
X. 144. *sis tu*] *tu sis* t α v_1 v_2 v_3 v_4 g_2 c_1 c_2 1
XII. 57. *tetigi thalamo*] *thalamo tetigi* α γ_1 d g_1 v_1 v_2 v_3 v_4 v_5 g_2 g_4 c_1 c_2 ϱ
125. *totidem fluctus*] *fluctus totidem* α γ_1 d g_1 v_2 v_4 g_2 c_1 c_2
XV. 209. *suis ad te manibus*] *suis manibus ad te* t α d g_1 σ v_1 v_2 v_3 v_4 g_2 g_4 c_2 1
233. *pars a me vix*] *vix a me pars* d v_2 v_4 g_2 g_4 c_1 c_2 1
XVI. 110. *sic me non*] *non me sic* f α g_1 v_3 v_4 γ_2 g_2 g_4 c_2 ϱ

189. *potius coepto*] *coepto potius* $\alpha g_1 \sigma v_1 v_3 v_4 v_5 g_2 g_4 c_1 c_2 \varrho$ 1

XVIII. 166. *gemini nequeas*] *nequeas gemini* $\alpha g_1 v_1 v_3 v_4 g_2 c_2 \varrho$ 1

XIX. 75. *liceat flentem*] *flentem liceat* $f \alpha \gamma_1 d g_1 p_1 v_2 v_3 v_4 v_5 \gamma_2 g_2 g_3 g_4 c_1 c_2 \varrho$ 1

98. *vocem memori*] *memori vocem* $f d g_1 p_1 v_1 s v_2 v_4 \gamma_2 g_2 g_4 c_1 c_2$.

Porro ubi modorum rationes primo obtutu minus bene intellegebantur, repositi modi, qui aptiores viderentur. pro coniunctivo igitur sive dubitativo sive concessivo sive consecutivo indicativus intrusus his locis:

VII. 124. *praebuerim*] *praebueram* $e \gamma_1 \sigma v_1 v_5 g_2 g_3 g_4 c_1$

125. *possit*] *poscit* $\gamma_1 g_1 \sigma v_2 v_3 v_5 g_2 g_3 c_1 c_2 \varrho$ 1

VIII. 18. *feras*] *feres* $f g_1 v_1 v_2 v_5 \gamma_2 g_4 c_2$

XV. 267. *indigner*] *indignor* praeter P V G omnes

*XVI. 44. *putes*] *putas* $f t \alpha \gamma_1 d g_1 \sigma v_1 v_4 \gamma_2 g_2 c_2$ 1

XVII. 159. *possim*] *possum* $t \alpha d g_1 v_4 \gamma_2 g_2 g_4 c_2$ 1

*XVIII. 44. *putes*] *putas* $f t d g_1 \sigma g_3 g_4$ 1

XIX. 32. *ames*] *amas* $\alpha \gamma_1 d g_1 s v_3 \gamma_2 \varrho$.

totidem fere locis correctori coniunctivus desiderari videbatur, ubi Nasoni suffecerat indicativus:

IV. 40. *subsequor*] *subsequar* $e g_1 v_1 v_2 g_2 g_3 g_4 c_1 c_2 \varrho$ 1

VII. 27. *cogitat*] *cogitet* $f t \alpha e g_1 \sigma v_1 v_2 v_4 v_5 \gamma_2 g_2 g_4 c_1 c_2$ 1

X. 74. *vivet*] *vivat* $f t d g_1 v_4 v_5 \gamma_2 g_3 g_4 c_1 c_2$

XIV. 74. *properas*] *properes* $e g_1 \sigma v_3 v_4 v_5 g_2 g_4 c_2 \varrho$ 1

XV. 104. *signat*] *signet* $t \alpha d g_1 \sigma v_2 v_3 v_4 v_5 g_3 g_4$

XVI. 41. *peccant*] *peccent* $f t e d g_1 v_3 v_4 v_5 \gamma_2 g_2 g_4 c_2$.

Sicubi poeta elegans verbi finiti ellipsin adhibuerat, saec. XIII additum est, quod deesse videbatur. quo pertinent loci hi:

II. 31. *ubi nunc*] *ubi sunt* $f \gamma_1 v_1 g_3$

53. *quid iam tot pignora nobis*] *quid iam tot pignora prosunt* $e \sigma v_1 \gamma_2 \varrho$

III. 25. *parum*] *parum est* praeter P E G $v_1 v_2$ omnes

VII. 73. *nec mihi tu curae*] *nec mihi tu parcas* $f e \gamma_1 d g_1 \sigma v_1 v_2 v_3 v_4 v_5 g_2 g_4 c_2 \varrho$ 1

X. 61. *navita nusquam*] *navita nusquam est* g_1 v_1 g_4 c_1 ϱ 1

XV. 85. *digna*] *digna es* tα eγ_1 d v_5 γ_2

130. *tua*] *tua est* dv_1 v_2 v_5 γ_2 c_1 ϱ 1.

Quarum interpolationum agmen claudant exempla aliquot varii quidem generis, quibus tamen non minus perspicuum redditur, quantopere interpolator ille s. XIII simplicia adamarit et usitata.

VI. 111. *vir non meus*] *cur non meus* teγ_1 dg_1 v_1 v_2 v_3 v_5 γ_2 g_4 c_1 ϱ 1

IX. 68. *equas*] *equos* praeter P G f t v_5 omnes

105. *gesta*] *facta* ftαeγ_1 d σ v_1 v_4 v_5 g_2 g_4 c_1 c_2 1

111. *costas*] *costis* praeter P G fσ g_4 omnes

*X. 87. *magnas*] *magnos* fteγ_1 d g_1

XI. 19. *num minus*] *non minus* tα dg_1 v_2 v_3 v_4 v_5 g_2 c_1 c_2 ϱ 1

XII. 6. *vitam*] *vitae* faeγ_1 d $\sigma$$v_1$ v_2 v_3 v_4 v_5 γ_2 g_3 g_4 c_1 c_2 ϱ 1

*17. *totidemque et semina et hostes*] *totidemque sumpsisset et hostes* fteγ_1 d g_1 v_1 v_2 v_3 v_4 v_5 γ_2 g_2 g_4 c_1 c_2 ϱ 1

96. *habet*] *habens* tedg_1 σ v_1 v_2 v_3 v_4 v_5 g_2 g_4 c_1 c_2 ϱ

140. *funerea*] *funesta* tγ_1 d g_1 v_1 v_2 v_3 v_4 v_5 γ_2 g_2 g_3 g_4 c_1 c_2 ϱ 1

*XV. 267. *ferrum*] *bellum* fe γ_1 dg_1 σ v_1 v_2 v_3 v_4 v_5 γ_2 g_2 c_2 ϱ 1

XVI. 58. *cumque suo Priamum Laumedonte*] *cumque tuo Priamo Laumedonta* praeter P V G f omnes

164. *non adeo*] *non ideo* praeter P V G omnes

XVII. 174. *num minus*] *non minus* tα d g_1 v_1 v_2 v_3 v_4 v_5 g_2 c_2 ϱ 1 (conf. XI. 19)

*XVIII. 18. *reddi*] *credi* praeter P V G f g_3 omnes

58. *quamquam*] *quamvis* praeter P V G σ v_5 γ_2 omnes.

§. 12.

En habes exempla alterius recensionis, quam perpessus est Heroidum textus. qua saec. XIII recensione cum

G sit vetustior, iam adparet eum ex hac parte meliorem esse codicibus recentioribus, e quibus aliquot alia ex parte supra vidimus illo libro esse puriores (§§. 4—9). cum vero inter illos non saec. XIII solum sed etiam saecc. XIV et XV inveniantur codices, fortasse quis expectet nos eas quoque expositoros interpolationes, quae saec. XIV et XV ortae sunt, ut hanc quoque in partem codicis G eluceat prae recentioribus praestantia. attamen et veremur, ne fatigemus lectores et quantum G etiam saec. XIV et XV codicibus sit melior, iam superiore sectione demonstratum putamus, ubi vidimus interpolationes s. XIII per illorum saecc. codices esse propagatas. accedit, quod interpolationes, quae inde a saec. XIV accesserunt, aliae aliorum codicum consensu traduntur, plerumque etiam singulis libris propriae sunt, ita ut de tertia quadam textus recensione cogitari non possit. verum ubicunque adhuc de interpolationibus locuti sumus, de iis tantum cogitavimus, quae in singulis scripturis corruptis versantur. superest autem aliud genus interpolationum, scilicet versus insiticii, de quibus adhuc omisimus disputare, ut quaestio de iis uno eodemque capite absoluta eo magis existeret dilucida. cumque hac libelli nostri parte demonstrandum sit, quanam ex parte cod. G libris recentioribus sit melior, ii afferentur versus insiticii, de quibus e codicum ratione certum ferri potest iudicium, scilicet quorum in PG nulla omnino inveniuntur vestigia.

§. 13.

Versuum insiticiorum sat magnus numerus efficitur distichis, quae singulis epistulis praefigebantur salutandi vel omnino exordiendi formulas exhibentia. cuius generis versus in codicibus mss. et in editionibus veteribus extant hi:

Ep. V.

Nympha suo Paridi, quamvis suus esse recuset,
Mittit ab Idaeis verba legenda iugis.

Extat in E[55]) e b c_2 β; in g_2 in margine adscriptum est a m. 2.

---

[55]) Hoc loco et tribus aliis adferuntur versus insiticii codicis E, quamquam hoc capite nonnisi librorum cod. G recentiorum ratio

Ep. VI.

Lemnias Hypsipyle, Bacchi genus, Aesone nata,
Dicit et in verbis pars quota mentis erat.

Extat in E et in Excerptis Puteani[56]).

Ep. VII.

Accipe, Dardanide, moriturae carmen Elissae:
Quae legis, a nobis ultima verba legis.

Extat in E e v_2 γ_2, in v_2 tamen in fine epistulae.

Ep. VIII.

Alloquor Hermione nuper fratrumque virumque:
Nunc fratrem: nomen coniugis alter habet.

Extat in γ_1 π β ε_1.

Ep. IX.

Mittor ad Alciden a coniuge conscia mentis
Littera, si coniunx Deianira tua est.

Extat in Excerptis Puteani et in edd. π ε_1.

Ep. X.

Illa relicta feris etiam nunc, improbe Theseu,
Vivit et haec aequa mente tulisse velis.

Extat in π ε_1.

Ep. XI.

Aeolis Aeolidae, quam non habet ipsa, salutem
Mittit et armata verba notata manu.

Extat in e b v_1 v_3 ε_1; in c_2 post v. 2, in g_2 in margine a m. 2 (*l cetera scripta manu* b).

Ep. XII.

Exul inops contempta novo Medea marito
Dicit: an a regnis tempora nulla vacant?

Extat in ε_1.

---

habenda est, tamen cum quatuor illa disticha cod. Etonensi tradantur recentioribus libris solis adsentientibus, in P G autem non extent, vix esse videtur, cur hoc capite non adferantur.

56) Per totam hanc de versibus insiticiis disputationem etiam codices ab Heinsio et Burmanno tractatos adhihebimus, quos ubi de singulis scripturis ageretur, iure nos omisisse putamus. nemo enim ignorat, quam parva fides haberi possit lectionibus a viris illis enotatis.

Ep. XVI.

Si mihi, quae legi, Pari, non legisse liceret,
Servarem numeros sicut et ante probae.

Extare hoc distichon Heinsius testatur in margine codicis P: quod tamen vix crediderim, cum Zechmeisterus nihil de ea re adnotaverit. dubium igitur, cuinam codici tribuendum sit.

Ep. XIX.

Accipe, Cydippe, despecti nomen Aconti
Illius, in pomo qui tibi verba dedit.

Extat in t b v_1 v_3 γ_2 (*nomen amici* b).

Ep. XX.

Littera pervenit tua, quo consuevit, Aconti,
Et paene est oculis insidiata tuis.

Extat in v_1 v_3 γ_2.

Haec Heroidum prooemia etiam postquam textus critice tractari coeptus est, in nonnullis editionibus ut Ovidiana circumferebantur. nunc vero iam nemo dubitat ea in interpolationum numerum referre, cum meliora ex iis ieiuna, peiora plane inepta sint. attamen ad rem criticam in epistulis factitandam multum prosunt. nam cum interpolatores tam libenter versatos videamus in distichis illis singulis epistulis praefigendis, iam oriri potest suspicio, an iam ante saec. XI huius generis extiterint interpolationes numque sana sint omnia illa prooemia, quae hoc tempore ut Ovidiana eduntur. quae si consideraverimus, illico adparebit a reliquis differre prooemia epp. XIII. XIV. XVII et eo quidem, quod in iis non ut in reliquis omnibus herois vel heros, qui mittunt epistulas, ipsi loquentes vel salutantes inducuntur sed poëta de iis narrat.

ep. XIII. *Mittit et optat amans, quo mittitur, ire salutem*
Haemonis Haemonio Laudamia viro.

ep. XIV. *Mittit Hypermestra de tot modo fratribus uni:*
Cetera nuptarum crimine turba iacet.

ep. XVII. *Mittit Abydenus quam mallet ferre salutem,*
Si cadat unda maris, Sesta puella, tibi.

iam primo obtutu liquet haec tria disticha argumentorum enarrationibus multo similiora esse quam prooemiis scribentium ab ipso poeta compositis. quod in primis de altero valet disticho: quod si Hypermestrae verba esse facimus, mirum est eam epistulam suam ab eo incipere, ut Lynceum certiorem faciat eum solum superesse de fratribus, ceteros interfectos iacere. ipse enim superiore nocte caedi illi interfuit. praeterea non omittendum est verba illa *de tot modo fratribus uni* desumpta esse e v. 73: *Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus.* ubi *modo* apte est adhibitum; nondum enim unus e fratribus est Lynceus, sed modo erit, cum ceteri fratres circum eum iaceant moribundi (conf. v. 35). ridicule autem Hypermestra v. 1 caede iam perfecta et unius noctis spatio elapso ad eum scribit: *de tot modo fratribus uni.* adde quod plane abrupte pergitur v. 3: *Clausa domo teneor.* contra conf. ep. II. III. X, quarum prooemia (in ep. X. vv. 3—4) arcte cohaerent cum versibus proximis. hoc igitur distichon sine ullo dubio grammatici cuiusdam opus est argumentum epistulae enarraturi. non minus graves suspiciones movendae sunt de disticho, quod praecedit ep. XIII quodque iam a Micyllo spurium iudicatum est. in quo praeter ea, quae supra de primis epp. XIII. XIV. XVII distichis diximus, intricata ac dura verborum et constructione offendimus et collocatione, cuius exemplum in poetae Romanorum elegantissimi operibus non invenies. porro Micyllus rectissime cognovit hoc distichon interpolatis illis esse simillimum: vidimus enim supra, quantopere adamarent interpolatores patronymicorum usum (conf. in primis prooemii interpolati ep. XI v. 1: *Aeolis Aeolidae* et in hoc disticho v. 2: *Haemonis Haemonio*). certissimis autem argumentis evincitur insiticium esse primum ep. XVII distichon. mittamus suspiciones supra de tribus illis distichis motas, mittamus ineptias, quae insunt in v. 2: gravius his omnibus codicum valet auctoritas. hoc distichon enim ut vv. XIV. 62 et 113 (conf. §. 6) primum in G emergit, cum neque in P a m. 1 neque in V inveniatur. in P autem a manu recentissima exaratum est, in V plane deest. certe

gratam hoc loco opem affert V, in quo iam supra diximus nullum inveniri versum, qui non extet in P.

Ceterum de hoc interpolationum genere, si infra de argumentis Heroidum metricis disputatum erit, melius etiam iudicari poterit.

§. 14.

Videndum nunc de iis versibus insiticiis, qui in mediis epistulis occurrunt. quarum interpolationum plura distinguenda sunt genera, quae iam deinceps tractabimus.

Adamabant interpolatores sententiam quandam poetae aliis exprimere verbis et nonnunquam quidem singulis versibus, interdum etiam distichis. cuiusmodi interpolationes si singulis constabant versibus, sicubi in textum illatae sunt, iam duo hexametri vel duo pentametri se excipiebant: quare grammatici nil cunctati suppleverunt versus, qui deesse viderentur itaque amplificata est interpolatio.

Iam adferemus primi huius generis exempla collecta.

Ep. V.

Extat in omnibus libris praeter PG (etiam in E) post v. 22 (in f γ_2 g_3 c_2 post v. 24) distichon hoc:

Populus est, memini, fluviali consita ripa,
Est in qua nostri littera scripta memor.

quo repetita est sententia, quae inest in vv. 25. 26:

Popule, vive, precor, quae consita margine ripae
Hoc in rugoso cortice carmen habes.

Ep. VII.

v. 23 sq. Dido amorem suum hunc in modum describit:

Uror, ut inducto ceratae sulpure tedae:
Aenean animo noxque diesque refert.

rectractatur utraque sententia in versibus duobus interpolatis, qui inter vv. superiores inserti sunt in f t α e σ v_2 c_2 (in g_2 in margine a m. 2):

Ut pia fumosis addita tura rogis;
Aeneas oculis semper vigilantis inhaeret.

Ep. XIII.

v. 73 ita scripsit Ovidius:

Pugnet et adversos tendat Menelaus in hostes.

ad cuius exemplar glossatores confinxerunt versus hos:

Hostis et invadat thalamos Helenamque reducat

vel

Ictibus adversis poscat sua munera fortis.

uterque versus praeter genuinum v. 73 extat in codice Oxoniensi; alter in codice Moreti, ubi librarius, ne deesset pentameter, post eum repetivit v. 74.

Ep. XV.

v. 184 haec profert Paris:

Lis est cum forma magna pudicitiae.

alia huius versus recensio a manu 4 saec. XV adscripta est in G:

Pax est cum specie nulla pudicitiae.

Nonnunquam versus illi ad genuinorum exemplar compositi genuinos ipsos extruserunt, quod observamus in ep. VII v. 145, qui a Nasone ita est compositus:

Utque latet vitatque tuas abstrusa carinas.

glossatorum opera huius versus, si leviores omittimus discrepantias, tres extiterunt recensiones:

(I) *Utque iuvet ventusque tuas remusque carinas*

(II) *Ut moveas remoque tuas veloque carinas*

(III) *Utque viam teneas nulloque errore trahare.*

I et II saec. XIII extiterunt variisque modis mutati in plurimis libris genuinum v. 145 extruserunt; III autem saec. XV est et in c_2 una cum I legitur post v. 145.

Eadem est condicio v. IX. 55, quem iam supra vidimus inde a saec. XI interpolatione laborare (conf. tabulam §. 3). genuinus versus hic est:

Maeandros, terris totiens errator in isdem.

glossatorum studiis hasce debemus variationes:

(I) *Maeandros, qui se totiens concludit in orbem*

(II) *Maeandros, terris totiens qui volvitur isdem*

(III) *Maeandros fluvii totiens redeuntis eodem.*

quarum I in σ, II in cod. Vaticano, III in Scriveriano priori pro genuino versu invenitur. ad III conf. Metam. IX. 451.

§. 15.

Alterius harum interpolationum generis origo repetenda est ex mythologica grammaticorum doctrina, qui sicubi mythica quaedam persona vel fabula quaedam a poeta obiter tacta erat, quae de iis sciebant, de suo addiderunt.

Ep. IV.

v. 131 sq. haec leguntur Phaedrae verba:

Ista vetus pietas aevo moritura futuro
Rustica Saturno regna tenente fuit.

sequitur in t e d σ γ_2 π (in g_2 in marg. m. 2) cum innumeris scripturae discrepantiis distichon hoc:

Saturnus periit, perierunt et sua iura:
Sub Iove nunc mundus: iussa Iovis sequere.

Ep. XII.

v. 79 sq. Medea Jasonem orat atque obsecrat hisce:

Per triplices vultus arcanaque sacra Dianae
Et si forte aliquos gens habet ista deos.

secuntur in g_1 versus hi:

Terret lustrat agit Proserpina Luna Diana
Ima superna feras sceptro fulgore sagittis.

Ep. XV.

v. 159 sqq. Paris optat, ut possit Helenam certamine felici adipisci ita

Ut tulit Hippomenes Schoeneida praemia cursus,
Venit ut in Phrygios Hippodamia sinus.

inter quos versus in g_1 v_2 v_4 v_5 g_2 g_4 c_2 ϱ β interpolata sunt haec:

Quae propero cursu vicerat ante procos:
Sic et tu Phrygias venies regina per urbes.

ceterum commemorandum in aliquot codicibus (e γ_1 d σ v_3 c_1 s_1 1. 2. 3. 4) omissis v. 160 genuino et hexametro interpolato haec extare:

Ut tulit Hippomenes Schoeneida praemia cursus,
Quae propero cursu vicerat ante procos:
Ut ferus Alcides etc.

§. 16.

Tertium versuum insiticiorum genus iis ecficitur, qui additi sunt a grammaticis, ubi aut ex sensu aut ex ratione grammatica quaedam desiderari viderentur.

Ep. VII.

v. 95 sq. *Exige laese pudor poenas † violate Sychaei*
Ad quas (me miseram!) plena pudoris eo.

diximus supra p. 38 v. 95 adhuc medela egere: viri docti saec. XIII hunc locum lacuna laborare arbitrati duobus versibus suppletis conformaverunt ita, ut legitur in t et Regio Heinsii:

Exige, laese pudor, poenas violataque lecti
Iura nec ad cineres fama retenta meos;
Vosque, mei manes, animaeque cinisque Sychaei,
Ad quas (me miseram!) plena pudoris eo.

Ep. VIII.

v. 19 sq. Hermione Oresten hortatur, ut sese repetat ab Achille:

Sit socer exemplo nuptae repetitor ademptae:
Nupta foret Paridi mater ut ante fuit?[57])

non intellegebat grammaticus saec. XV rationem coniunctivi *foret* (quem rectissime interpretatur Riese vol. I. praef. p. XIII) et πρότασιν quaerens sententiae, ut arbitrabatur, hypotheticae *nupta foret* inter vv. 19 et 20 haec intrusit:

Cui pia militiae causa puella fuit:
Si socer ignavus vidua stertisset in aula.

extant hi versus cum permultis scripturae discrepantiis in v_3 f π β ε_1.

Ep. XIII.

v. 73 sq. haec dicit Laudamia:

Pugnet et adversos tendat Menelaus in hostes:
Hostibus e mediis nupta petenda viro est.

ut clarius eluceret, quemadmodum v. 74 de Menelao esset intelligendus, post hunc v. vir doctus s. XIII haec interpolavit:

---

[57]) Sic puto hunc locum conformandum esse ex auctoritate cod. P.

Ut rapiat Paridi, quam Paris ante sibi:
Irruat et, causa quem vicit, vincat et armis.

hi vv. in omnibus libris leguntur praeter P V G t g_3; in v_3 inverso ordine extant post v. 76; in γ_1 γ_2 hexameter interpolatus et pentameter genuinus (v. 74) desunt.

Ep. XV.

Qui in hac epistula inveniuntur versus insiticii, praeter unum distichon omnes extant in libris, in quibus desunt vv. 39—142 Heins. iam supra p. 35 diximus nonnulla in ep. XVI omnino non intellegi, si vv. illi ep. XV omittantur: Helenam enim in ep. XVI de lite dearum multo plura scire, quam quae Paris narravit in ep. XV. quod sentiens grammaticus quidam saec. XIII post v. 62 ep. XV hoc interposuit distichon:

Cum Venus et Juno Pallasque in vallibus Idae
Corpora iudicio supposuere meo.

ad quod mox acceserunt versus hi:

Primaque cum regnum, belli daret altera sortem,
„Tyndaridis coniunx" tertia dixit „eris"

(conf. XVI. 117 sq.) vel pro versu altero:

Sed te promissa non mihi cura fuit.

alia medela sensui succurrit vir doctus saec. XV; in nonnullis libris enim huius saeculi post v. 60 hoc sequitur distichon:

Virtutem belli Pallas laudemque ferebat
Tertia „coniugii laude frueris" ait.

versus illi subditicii cum primum in margine adscripti fuissent, diversis locis in textum illati sunt et in compluribus libris genuinorum versuum ordinem misere conturbaverunt, quod in editione critica accuratius exponemus.

Alia interpolatio invenitur in ipsis illis versibus, quos Merkelius auctore Lachmanno utpote Italorum fraude ortos eiecerat. vidimus supra p. 35 Helenam XVI. 196 compertum habere Paridis in Oenonen amorem, quamquam Paris in ep. XV Oenonen non commemorasset. cuius rei causam l. c. exposuimus. at grammaticus quidam s. XV in Paridis

epistula aliquid deesse ratus post v. 96 Heins. interpolavit distichon hoc, quod sensu omnino caret:

Quas super Oenonen facies mutarer in orbem
Nec Priamo est ad te dignior ulla nurus.

invenitur in *φ κ β*.

Ep. XIX.

v. 11 sq. haec sunt verba Acontii:

Invenies illic id te spondere, quod opto
Te potius, virgo, quam meminisse deam.

non vidit grammaticus quidam *meminisse* pendere ex *opto* sed post *opto* interpungendum ratus lacunam statuit inter v. 11 et 12, quam explevit insertis versibus hisce:

Ne tibi cum verbis excidit illa fides
Id metui, ut divae diffusa est ira: decebat...

invenit hanc interpolationem in codice suo Antonins Volscus. etiam verba, quae in pomo, quod iecit Acontius, inscripta fuerant, noverunt saec. XV interpretes et lectores de iis edocuerunt. leguntur haec verba in v_4 in margine:

Iuro tibi sane per mystica sacra Dianae
Me tibi venturam comitem nuptamque futuram.

in g_2, ubi item in margine inveniuntur, ita comparata sunt:

Iuro tibi sane per numina sacra Dianae
Hoc te sumpturam donum nuptamque futuram.

in eadem officina, in qua illa disticha confecta sunt, fabricati videntur versus, quibus item continetur iusiurandum Cydippae v. 20 commemoratum quosque post hunc versum in codice suo legit Micyllus:

Me tibi nupturam (felix erat omen, Aconti)
Iuro, quam colimus, numina magna deae.

Hoc capite etiam ii versus commemorandi sunt, quibus grammatici expleverunt lacunas ex antiquioribus libris in recentiores translatas. tales versus persaepe adscribebantur in exemplaribus, in quibus non lacunae sed ipsi versus genuini extabant. quo factum est, ut duo hexametri vel duo pentametri sese exciperent: iam adhibuerunt grammatici eandem illam medelam, de qua supra diximus §. 14; addi-

derunt enim hexametris pentametros, pentametris hexametros itaque lacunarum supplementa aliarum insuper interpolationum causae extiterunt.

Ep. IX.

Vidimus supra p. 56 in Pg_3 deesse huius epistulae vv. 81 et 83, qui vulgo ex G plurimisque aliis hunc in modum eduntur:

81. *Crederis, infelix, scuticae tremefactus habenis.*
83. *Eximias pompas, praeconia summa triumphi.*

certe difficulter diiudicari potest, utrum Gω hoc loco servarint versus genuinos an iam in communi omnium codicum archetypo lacunae fuerint et Gω igitur nilnisi lacunarum supplementa exhibeant posterioribus temporibus facta. sed primum omnium tenendum est hos vv. in codicibus extare praeter Pg_3 omnibus, a grammaticis vero in libris, qui lacunis laborabant, diversa esse adscripta supplementa et pro v. 81 quidem haec:

(I) *Dumque paras veniam, pudet en celata negare*
(II) *Non impune tamen: famulae nam more recumbis.*

pro v. 83 autem haec:

(I) *Turpiter ipse aliis referebas verba puellis*
(II) *Coniugis in gremio muliebria pensa trahebas*
(III) *Eximias pompas, immania semina laudum*
(IV) *Exuviis positis meritarum semina laudum.*

magna versuum III. IV similitudine cum v. 83, ut est in Gω, probabile saltem redditur etiam hunc versum nonnisi lacunae supplementum esse. e quatuor autem v. 83 formis II in v_3, III a manu 2 in P, IV in codice Douzae pro v. 83 invenitur; invenitur autem una vel altera forma etiam in iis libris, in quibus versuum 81. 83 vulgatae extant recensiones ibique causae fuerunt interpolationum, quemadmodum supra exposuimus. illatus est in librum quendam v. I (velut in v_2, ubi praeter v. 83 extat et huic praecedit); illatus deinde etiam v. II: cumque versus 83 etiam vulgata extaret forma, iam tres hexametri sese excipiebant. nil cunctatus grammaticus quidam ex v. II:

Coniugis in gremio muliebria pensa trahebas
effecit pentametrum
Coniugis in gremio debita pensa trahens.
praecedit igitur in aliquot libris Jahni v. 83 distichon hoc:
Turpiter ipse aliis referebas verba puellis
Coniugis in gremio debita pensa trahens.
duo illa supplementa autem versus 81 videntur adscripta fuisse in archetypo codicis v_1, qui insuper vulgatam huius versus formam exhibebat. cumque iterum requirerentur pentametri, grammatici versu 82 genuino:
Ante pedes dominae pertimuisse minas
bis leviter mutato haec duo confinxerunt disticha:
(I) *Dumque paras veniam, pudet en celata negare,*
Ante pedes dominae procubuisse tuae.
(II) *Non impune tamen: famulae nam more recumbis:*
Diceris et dominae pertimuisse minas
quae in v_1 leguntur praeter vv. 81. 82, et prius quidem distichon post v. 80, alterum vero post v. 66; fuit igitur in archetypo in margine adscriptum et postea falso loco in textum illatum est. distichon I autem leviter mutatum etiam in γ_2 post v. 82 extat.

Ep. XIV.

v. 47 sq. haec narrat Hypermestra:
Admovi iugulo — sine me tibi vera fateri —
Admovi iugulo tela paterna tuo.
cum ambo versus ab iisdem verbis incipiant, non mirum est ex libro quodam priorem excidisse. quam lacunam servarunt f v_1; in e d g_1 σ v_2 v_3 v_4 v_5 γ_2 g_2 g_4 c_1 c_2 ε_1 ita expleta est:
At rursus monitis iussuque coacta parentis.
in t ita:
Tandem victa mei saeva formidine patris.
quae quidem supplementa alias procrearunt interpolationes. irrepsit enim versus, qualis est in t, in codicem, in quo v. 47 quidem aderat genuinus, v. 48 tamen eadem de causa qua in aliis v. 47 interciderat. cum igitur versus ita sese exciperent:

47. *Admovi iugulo — sine me tibi vera fateri —*
Tandem victa mei saeva formidine patris
49. *Sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis,*

grammatici ne hoc quidem loco desperantes duobus versibus interpolatis has in textum intulerunt ineptias:

47. *Admovi iugulo — sine me tibi vera fateri —*
Mente sequi dira iussa paterna volens:
Tandem victa mei saeva formidine patris
Audeo per iugulum tela movere tuum.
49. *Sed timor et pietas* etc.

exhibet hanc interpolationem inter omnes pessimam codex Lincolniensis.

Ep. XX.

Notum est plerosque libros in huius epistulae v. 12 desinere; in cod. σ autem post hunc v. quatuor leguntur disticha fabricata a grammatico quodam, qui epistulam mutilam ad finem perducturus mox a proposito suo destitit. quae disticha magnam partem oblitterata et ad legendum difficilia ita exhibebo, ut enotata sunt ab Adriano l. c. p. 21:

Si tamen ut perhibes fugerem periuria vite
Victis adhuc dubie parceret illa mihi
At dea nec precibus poterit nec vulnere flecti
Ut que medear est mihi sola salus
Nec etiam victe inest curandoque negand
Ut vivere imperium ponere ventis honus
......et et queri deque sui coniugi tacens
....et quale sim de te iure vigilis opem[58]).

§. 17.

Ultimum denique versuum interpolatorum genus gnomis ecficitur scholasticis, quibus interpretes nonnullos locos illustraverunt.

---

[58]) Fluctuat Adrianus v. 2 inter *parceret* et *perceret*, v. 5 inter *inest* et *interest*, eodem v. inter *curandoque negand* et *quandoque vegrante*, v. 6 inter *onus* et *honus*.

Ep. VII.

In codice v_7, qui excerpta continet, inter v. 161 et 177 legitur distichon hoc:

Nunquam bella domus, nunquam discrimina desunt
Et cum quo certet mens pia semper habet.

quod quemnam ad versum pertinuerit, dubium est.

Ep. IX.

v. 113 sq. Deianira sic in Herculem invehitur:

Falleris et nescis: non sunt spolia illa leonis,
Sed tua tuque feri victor es, illa tui.

adnotavit vir doctus quidam medii aevi in codice Leidensi sententiam hanc:

Femina cum miles et miles femina fiat,
Incipit esse, quod es, desinis esse, quod es.

Ep. XII.

Post v. 158 hoc disticho nos beavit t:

Ipse nocet mihi nunc, cui saepe nocere solebam:
Ipsa ego, quae potui laedere, laesa quaeror [59]).

---

[59]) Per totam hanc de versibus insiticiis quaestionem, ut ex eius ratione desiderabatur, eas tantum tractavimus interpolationes, quae ex codicum rationibus diiudicari possunt, scilicet eas, a quibus liberi sunt PG. cum tamen notum sit huius aetatis criticos versus non paucos quamvis antiquissimorum codicum consensu traditos obelo notasse, ut in disputatione ipsa, quae extra librorum posita sunt testimonia, non poterant tractari, ita in adnotatione libenter concedimus locum brevissimae de versibus illis quaestioni. qua in re quae spuria iudicavit Carolus Lehrsius, de iis disputare supersedemus. dolendum tamen virum tam admirabilis ingenii tantaeque doctrinae tantas procreasse ineptias, quantis scatent eius „Animadversiones über die sogenannten Ovidischen Heroiden“ (Ann. phil. et paed. vol. 87. p. 49 sqq.). quarum ultima tantum probanda videtur sententia: *Ihre Veröffentlichung möge man verzeihen.*

Ab editoribus autem hi potissimum versus damnantur: I. 37—38 a Riesio, V. 44—45, 140—145 (Heins.), 151—152 (Heins.), VI. 31—38 a Merkelio (V. 140 sq. adsentiuntur Riesius et Palmerus, VI. 31 sq. Palmerus, dubitanter Riesius); VIII. 71—72 a Palmero; X. 87—88 a Riesio dubitanter; XI. 127—128, XIII. 63-64, 161—162 a Palmero; pleraque epp. XIX. XX disticha a Diltheio; denique nuper Schenkelius (l. c. p. 175) vv. I. 107—108 Merk. (= 109—110 Ries.) spurios iudicavit. e quibus iure pro suspectis haberi puto I. 107—108, quos

§. 18.

Amplum §§. 11—17 enarravimus textus historiae caput: proximum est, ut videamus, quomodo ea, quae hoc capite exposita sunt, pertineant ad criticen in Heroidibus factitandam. quaesivimus supra p. 61, num libri illi, quos pluribus locis vidimus cod. G esse puriores, omnibus iis locis, ubi P deficeret, cod. G auctoritati anteponendi essent: quod negantes statuimus codices illos quamvis e purioribus deductos archetypis plerumque propter ipsam aetatem codice G esse deteriores utpote infectos saec. XIII — XV interpolationibus et lectionum et totorum versuum.

Quid igitur faciendum iis partibus, in quibus caremus duce in constituendo textu certissimo codice P, cum modo G libris illis melior sit, modo illi codice G meliores? quae quaestio in primis ad eos pertinet locos, ubi G singulares exhibet scripturas discrepans a ceterorum omnium consensu ita quidem, ut lectiones ab eo traditae per se non possint

---

Schenkelius rectissime animadvertit meram esse versuum 111 sq. repetitionem (conf. interpolationes §. 14 expositas); item I. 37—38, quo disticho misere interrumpitur narratio ducis Argivi; offendit praeterea nimis contorta verborum structura. cuius interpolationis origo inde repetenda, quod desiderari videbatur subiectum sententiae *rettulit et* etc. porro iure damnantur V. 140 — 145 Heins., ubi recte adnotat Palmerus v. 133 contradicere versui 140 Heins.; item 151—152 Heins.: non omittendum utroque loco P non extare; spurii etiam vv. VI. 31—38, quibus retractantur, quae iam vv. 9—14 dicta sunt. praeterea concedendum Riesio saltem v. 88 ep. X ineptum videri: periculis enim, quae a bestiis immineant, per quinque versus expositis sexto versu gladii adiunguntur. reliqua a viris doctis minus feliciter tentata crediderim. ad vv. XIII. 63 sq. haec dicit Palmerus: *Hoc distichon mihi spurium videtur. Unde enim quae dixisset Paris Laudamia scire potuit?* certe id Laudamia eadem ratione comperit, qua Helena XVI. 197 sq. quaerendo rescivit Spartae, quos amores Paris Troiae fovisset. — XI. 127—128 seclusit Palmerus confisus Heinsio, qui adnotaverat hoc distichon in P a m. 2 additum esse. attamen legere poterat vir doctus apud Merkelium praef. p. IX haec: *De disticho XI. 127, 128 quae Heinsius adnotavit falsa sunt.* in P autem, quod addere omisit Merkelius, huius loci ea est condicio, ut v. 127 verba *tu rogo dilectae* erasa et in margine a m. 2 additum sit *tu rogo prouectae.* — quas Diltheius de plerisque epp. XIX. XX movit suspiciones, futiles sunt.

improbari. in quam rem priusquam accuratius inquiramus, videndum, quid ceteroquin de codicis G singularibus scripturis iudicandum sit: hic liber enim etiam in iis partibus, ubi extat P, persaepe singularibus insignis est scripturis, quae per se ipsas non possent improbari, nisi codicis P cum reliquis omnibus consensus contradiceret. unde sequitur cod. G sat audacibus infectum esse coniecturis. quae res in hoc libro aestimando adhuc a viris doctis plane neglecta est, quos vel unus locus ceteris insignior de hac re edocere poterat. offendunt aliquot critici disticho illo, a quo incipit ep. X:

Mitius inveni quam te genus omne ferarum:
Credita non ulli quam tibi peius eram.

inepte enim epistulam dicunt incipere ab his verbis, cum tertio demum versu sequatur exordiendi formula:

Quae legis, ex illo, Theseu, tibi litore mitto,
Unde tuam sine me vela tulere ratem.

---

mirandum autem criticum ceteroquin sat consideratum obelo tam temere usum esse. certe non uncis inclusisset XIX. 43—44:

Sit dubium possisne capi: c a p t a b e r e certe.
Exitus in dis est: sed c a p i e r e tamen

si respexisset Am. I. 4. 13 sq.:

A n t e v e n i, quam vir. nec quid, si v e n e r i s a n t e,
Possit agi, video: sed tamen a n t e v e n i

vel alia huius generis pleraque. item cautius tractandi erant vv. XX. 135 sq.:

Quae iurat, mens est: nil coniuravimus illa.
Illa fidem dictis addere sola potest.

doctissimus enim interpolator fuisse putandus est, quippe qui cognitum habuerit Eurip. Hippol. v. 612:

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Restat ut addamus nobis ipsis iam diu spurios visos vv. XVII. 121 sq.:

Hoc quoque si credis: ad te via prona videtur,
A te cum redeo, clivus inertis aquae.

hoc disticho enim nilnisi repetitur sententia, quae inest in versibus, qui praecedunt:

Siqua fides vero est: veniens huc esse natator,
Cum redeo, videor naufragus esse mihi.

(conf. supra §. 14). accedit, quod *credis* producta syllaba *is* ante vocalem apud Ovidium nusquam invenitur (conf. Eschenburg l. c. p. 18)

idem sensit, qui scripsit codicem G et medela usus Ribbeckiana vv. 1—2 posuit post v. 6, ubi concedendum est eos nequaquam offendere. vides igitur, quanta cum licentia codicis G librarius textum tractaverit. iam reliquos locos, ubi G singularia exhibet, inspiciamus.

II. 28. *demeruisse* P ω *permeruisse* G

73. *post illos* P ω *post alios* G

III. 28. *ille* P ω *iste* G

47. *vidi quantus* P ω *vidi et quantus* G ω

115. *si quisquam* P *et si quis* vel *et quisquis* ω *et quisquam* G

IV. 31. *si tamen*] *sic tamen* P ω *et tamen* G

160. *tepidum* P ω *trepidum* G

V. 1. *coniunx prohibet nova* P ω *coniunx prohibet tua* G

96. *consule, quis aetas* P ω *consule* |||||*quis eras* G[61])

VI. 68. *aspiciuntur* P ω *inspiciuntur* G

115. *Bacchi coniunx* P ω *Bacchi est coniunx* G

154. *sentiat* P ω *nuntiat* G

VII. 16. *tenenda* P ω *terenda* G[62])

VIII. 61. *has solas habeo semper semperque profundo*] *has solas semper habeo semperque profundo* P ω *has semper solas habeo semperque profundo* ω *has solas habeo semper solasque profundo* G

IX. 131. *fortisan et pulsa* P *fortisan expulsa* ω *forsan et expulsa* G

143. *refero* P ω *referam* G

163. *misi tibi* P ω *tibi misi* G

X. 6. *per facinus somnis* P ω *per somnis facinus* G

31. ?] *aut* ||||*iam* P *aut etiam* vel *aut certe* ω *aut tamquam* G[63])

XI. 109. *si potuit meruisse necem* P ω *si meruisse necem poterat* G

---

[61]) Quod Merkelius post *consule* legisse sibi visus est *dum* equidem nullo pacto extricare potui.

[62]) Recepit hanc lectionem Merkelius.

[63]) Placuit haec scriptura Merkelio et Riesio.

XII. 15. *ignes* P ω *hostes* G
22. *de te* P ω *ex te* G
137. *ad aures* P ω *in aures* G
202. *dos mea* P ω *dos tibi* G
XIII. 14. *illud* P ω *istud* G
XIV. 82. *facti sanguinis* P ω *fusi sanguinis* G
XV. 47. *quod rapuid laudo* P ω *quod laudo rapuit* G
77. *de turba narrem* P ω *de narrem turba* G
133. *vulnera* P ω *murmura* G
209. *ad te* P ω *ad te et* G
246. *quaque* P *quaeque* ω *quodque* G
249. *terrae copia vestrae* P ω *vestrae copia terrae* G
257. *putes non me* P ω *putes Paridem* G
268. *movent* P ω *manent* G
XVI. 29. *quae tua* P ω *quae tibi* G
71. *sperno* P ω *spernam* G
111. *convellere* P ω *mihi vellere* G
XVII. 5. *nam cur* P ω *nam cum* G
118. *dominam* P ω *veniam* G
125. *secernimur* P ω *seiungimur* G
178. *et res* P ω *est res* G
XVIII. 71. *tractabile nanti* P ω *tractabile nautis* G
156. *penitus toto* P ω |||*ntam toto* G
195. *lucerna* P ω *puella* G
XIX. 22. *dum* P ω *sic* G
47. *proficient* P ω *proficiunt* G
94. *de me solo* P ω *solo de me* G
98. *aure tuam* P ω *ore suo* G
116. *si patiare* P ω *si patiere* G.

En, quotiens nos lusisset G, si solus superesset ex libris vetustioribus! certe non paucis locis editores recepissent eius coniecturas spretis libris recentioribus, laudantes insuper codicem, quod totiens solus servasset lectiones genuinas [64]).

Quamobrem in iis Heroidum partibus, ubi codicis P caremus testimonio, si G exhibet singularia, ea in propa-

[64]) Conf. praecipue II. 73, VI. 68, VIII. 61, IX. 131, XV. 77, *XVII.* 178.

tulo est nonnisi summa cum cautione tractanda esse. sunt autem partes illae primum quidem eae, quae aliquot foliorum iactura exciderunt ex P (I—II. 13, IV. 48—103, V. 97 — VI. 49, XIX. 176' — XX); deinde ea, quae rimis deleta sunt (XIII. 9—12[65]), 37—40); denique siquid a librariis omissum est: IX. 63—64, 147—152, XVII. 23—24[66]). iam videamus, quidnam G in his partibus praebeat singulare.

I. 5. *tum* G *tunc* ω
10. *lasasset* G *lassaret* ω
48. *esse solum* G *ante solum* ω
62. *novata* G *notata* ω
IV. 80. *moror* G *miror* ω
84. *iuvas* G *iuvat* ω
V. 109. *tum* G *tunc* ω
VI. 2. *aurante* G *auratae* ω
17. *cur* G *quid* ω
43. *furto sum* G *sum furto* ω
IX. 64. *alta* G *alba* ω
147. *iactabitur* G *lacerabitur* ω
151. *cognoscis* G *cognosces* ω
XIII. 39. *vestes* G *pectar* ω

Si lectiones a G solo exhibitas diligentius consideramus, nonnisi I. 5 et V. 109 eius auctoritati parendum videtur; de I. 10 dubitari potest: fortasse *lassasset* coniectura effectum est propter *iacuissem* in v. 7; *quererer* in v. 8 propter metrum mutari non poterat. si vero I. 48 sequimur G, verba, ut a Merkelio eduntur, ita iungenda sunt: quid prodest mihi, id, quod Ilios et murus fuit, vestris lacertis disiecta (neutr. plur.) solum esse. (*Doch was frommet est mir, dass, zerstört von eueren Armen, Jetzt Erdboden, was erst Mauer und Ilium war?* Al. Berg). quam verborum structuram quivis intellegit ferri omnino nequire;

---

[65]) Horum versuum in P hae tantum supersunt reliquiae: 9. *raptus es hinc prae* 10. *quem caper* 11. *ventus erat* 12. *solvor;* e vv. 37—40 autem nilnisi *vestes* (v. 37).

[66]) De vv. IX. 81—83, XIV. 62, 113, XVII. 1—2 iam supra quaestionem absolvimus.

quomodo enim neutr. plur. *disiecta* appositionis loco referri potest ad subiectum *id* ex relativo *quod* supplendum? quas ineptias sublaturus Palmerus ita interpunxit:

Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
Ilios, et, murus quod fuit, esse solum?

iam verba ita iunge: quid prodest Ilios disiecta (sing. fem.) et id, quod murus fuit, esse solum. quod si probamus, molesta existit structurae inconcinnitas, cum unum subiectum sit substantivum cum attributo, alterum accusativus cum infinitivo. quamobrem, si edemus Heroidas, non dubitabimus hoc loco missa codicis G interpolatione apertissima revocare scripturam recentiorum codicum plurimorum consensu traditam: *quod fuit ante solum*, ut verba ita sint construenda: quid mihi prodest Ilios disiecta et solum quod antea murus fuit. iam habemus pro subiectis duo substantiva cum duobus attributis. — item I. 62 vereor, ne Merkelius cod. G iusto plus indulserit. haud dubie enim *charta novata* interpolatum est ex v. 20 *cura novata*. *novare chartam* eodem sensu atque *scribere* adhibitum apud nullum omnino scriptorem latinum invenitur; nec *novare* pro synonymo verbi *arandi* (= *exarandi*) haberi potest, cum ubique iterationis habeat notionem. quamobrem cum Palmero revocanda lectio recentiorum codicum: *charta notata*. — IV. 80 de scribendi vitio cogitandum videtur. — IV. 84 G, quem secutus est Merkelius, ni fallor interpolatione laborat. multo enim verisimilius est *iuvat*, quod est in ω, inter tot verba secunda persona constructa (*recurvas* — *torques* — *tenes* — *agas*) et inprimis homoeoteleuti causa in tertia et sexta pentametri sede usitatissimi in *iuvas* (*iuvas* — *agas*) mutatum quam contraria ratione peccatum esse. genuinum igitur videtur, quod servarunt recentiores libri: *iuvat*. — VI. 2 *aurante* aut ad scribendi errorem aut ad pronuntiandi quandam consuetudinem referendum. — v. 17 *cur* interpolatum est. — v. 43 si sequimur G, versus omni caesura caret. — IX. 64 quod in G extare vidimus, ridicula est coniectura librarii vel grammatici cuiusdam amplitudinem Herculis quam gravissime poterat depicturi. item manifestae fraudis est G v. 147; corrector

enim *lacerare* de acerbis doloribus dici ignorans *iactari* doloribus aptius duxit. — v. 151 *cognoscis* ad orthographicas rationes revocandum est. — XIII. 39 denique *vestes* mera oculorum aberratione e v. 40 illatum est.

Siquidem vera sunt, quae hac sectione disputavimus, sat clare elucere putamus cod. G in iis partibus, ubi deficit P, nequaquam ducem esse posse unice certum et in primis ubi singularia exhibet, recentiorum librorum summopere rationem habendam.

§. 19.

Maiorem textus historiae partem et eam quidem, quae ad criticam artem in Heroidum epistulis tractandam pertinet, iam absolvimus. summa autem eorum, quae adhuc disputata sunt, est haec:

Omnes Heroidum Ovidianarum libri ad unum eundemque redeunt archetypum. pristina textus integritas servata est in solo P. hic textus primum saec. XI vel XII a grammatico quodam recensitus est, ex qua recensione fluxerunt G et alii libri toti. qui textus interpolatus saeculo XIII iterum recensitus est, propagatae et ex parte auctae sunt hae s. XIII interpolationes saeculis XIV et XV. inter libros, qui extant, nonnulli insignes sunt eo, quod plerisque locis cum P consentiunt contra G, nonnunquam etiam ipsis PG sunt puriores. inter quos eminet σ, qui solus servat vv. II. 18. 19 iam in ipso P omissos. quorum librorum textum si comparamus cum priori illa recensione cod. G servata, videmus eos pluribus locis ab ea liberos, consentientes igitur et ibi cum P contra G. unde sequitur eos libros non ut G totos fluxisse ex recensione illa, sed tantummodo aliquot locis ab ea infectos esse, quemmadmodum in ipsum codicem P a manu 2 saec. XII complures scripturae huius recensionis intrusae sunt. quae cum ita sint, in iis partibus vel locis, ubi deficit P, G non solus dux esse potest. considerandum enim est fieri posse, ut in G extet scriptura exemplaris recensiti, in uno vel altero autem ex libris illis supra commemoratis servata

sit lectio genuina[67]). in primis autem cavendum est, ne in iis partibus decipiamur singularibus codicis G scripturis. videmus enim in iis partibus, ubi disquisitio firmis niti potest codicis P testimoniis, codicem G praebere singularia plurima eaque plerumque per se ipsa non improbanda; haec igitur nilnisi coniecturae sunt audacissimae. ex altera parte autem cavendum, ne hos libros omnibus iis locis, ubi deficit P, ubique temere codici G praeponamus, cum non omittendum sit eos, cum codice G sint recentiores, altera illa recensione laborare, a qua G E A V praeter P soli sunt vacui. reliqui libri, quorum proximo capite brevi mentionem faciemus, ad criticen in epistulis factitandam nihil fere prosunt.

Haec igitur, dum textus enarramus historiam, critices in Heroidibus Ovidianis factitandae iecimus fundamenta. iam antea quidem suspicabantur viri docti etiam in libris praeter P G hic illic aliquid boni latere; ignotum tamen erat, quibus potissimum libris et inter quosnam fines fides habenda esset; nonnunquam etiam, si quid boni e codice recentiori innotuerat, id pro coniectura habebatur.

Nos vero hoc loco797 monituri sumus nos nequaquam Heroidum textum iam perfectum et ad edendum paratum habere. quamobrem ne quis credat nos, si quando Heroidas edemus, nihil mutaturos esse praeter ea, quae in hoc libello de singulis locis disputantes novanda demonstravimus. nondum enim omnes locos exploravimus, ubi in P primariae scripturae erasae sunt: verum hi non aliter tractandi atque illi, ubi P aut propter foliorum aliquot iacturam aut propter lacunas deficere vidimus. porro in iis partibus, ubi P non extat, eos tantum locos accuratius tractavimus, ubi G praebet singularia; inquirendum autem, ut modo vidimus, in eos quoque locos, ubi G cum una ceterorum codicum parte con-

---

[67]) Huius rei certe unum extat exemplum gravissimum. IV. 67 enim (P non extante) G *Eleusis* exhibet cum reliquis libris omnibus praeter f. hic autem genuinam servat nominativi formam *Eleusin*, quae hoc ipso loco Prisciani confirmatur testimonio, qui hunc v. commemorat I. p. 544 K.

sentit contra alteram. denique in ultima ep. XIX parte edenda fragmenti V ratio habenda erit, cum haec sit unica pars textus, quo extat V deficiente P.

§. 20.

Iam brevi de iis libris disputandum est, quos adhuc obiter tantum attigimus quique ad rem criticam in epistulis exercendam aut nihil aut parum valent. sunt autem E A et ii libri, qui ut G toti ex recensione priori fluxerunt.

Iure mirum videbitur in numero eorum librorum, qui deterioris notae sint, inveniri ipsum E, librum post P antiquissimum. at si quam magister ille Etonensis saeculi XVIII excerptis suis apud nostrae aetatis criticos excitaverat spem libro illo invento fore, ut alter aperiretur praeter P integri textus fons, ea codicis scripturis accuratius inspectis quam celerrime plane evanescat necesse est. primum omnium enim hunc librum maximam partem insedit prior illa recensio, a qua his tantum locis liber est: II. 62 (solus), III. 154, IV. 111 (*negamus*), VI. 65, 137, 146, VII. 33, 122. porro si quaeris, quaenam eius archetypi fuerit condicio, priusquam lectiones illae exemplaris recensiti inferrentur, ne ille quidem bonae notae fuisse putandus est; fuit enim multo deterior codicis G archetypo. cum libellum meum, priusquam typis exprimeretur, amplissimo traderem philosophorum Vindobonensium ordini, codicis E collatio mihi nondum suppetebat. attuleram autem §. 11, ubi de altera recensione saeculi XIII agitur, scripturas plerasque interpolatas utpote in s. XIII libris primum emergentes et a P G alienas, quas codice E cognito non amplius in illo capite commemorare licebat; inveniuntur enim et in hoc libro. sunt autem hae potissimum interpolationes:

II. 45. *puppes etiam*
82. *feror*
89. *tangit*
148. *illa*
III. 21. *data sum*
31. *lebetes*

34. *bis septem*
107. *quod iunximus*
IV. 120. *mater tanto*
142. *nec*
V. 20. *iuga summa*
VI. 51. *me mea*
86. *addere*
89. *sparsis discincta*
135. *de caede*
143. *fetu comitata*
144. *roganda foret*
VII. 51. *possint*
83. *narrabas*
93. *voces.*

praeter has lectiones, quae cum cod. E praebeantur libris saeculi XIII plerisque adsentientibus, ad archetypum quendam redire videntur ipso G ut vetustiorem ita peiorem, E singularibus quoque laborat interpolationibus iisque audacissimis. I. 32 poeta de duce quodam Argivo in convivio bellum Troianum narrante haec dicit: *Pingit et exiguo Pergama tota mero.* malebat interpolator *exiguo metro* (en miniature). — v. 33 *Sigeia tellus* commemoratur: interpolator ille haud dubie *Sigeius* et *Scaeus* (*Σκαιαὶ πύλαι*) confundens corrigendum putabat *Sigeia porta.* — post. II. 17 supra vidimus E cum omnibus fere libris laborare duorum versuum lacuna: quam sublaturus interpolator coniectando *diis supplex* v. 17 cum v. 20 coniungere conatus est. — v. 110 variationis causa interpolator ille pro *multa dedi, multa datura fui* reposuit: *multa dedi, plura datura fui.* — IV. 53 corrector ille ut postea Francius offendit verbis *generis fato reddamus amorem* coniecitque *sectamur amorem*, ut *fato* pro ablativo habendum esset (*debemus amorem* Francius). — v. 127 cod. E hanc debemus coniecturam: *i nunc, inmitis lectum reverere parentis:* videlicet non intellexit corrector ironiam, quae inest in genuinis poetae verbis: *i nunc, sic meriti lectum* etc. — VI. 161. correctori mirum visum est, quod de Medea dicitur: *cum mare, cum terras consumpserit, aera temptet:* nil cunctatus

mira illa voce exstirpata scripsit: *cum mare*, *cum terras*, *cum pennis aera temptet;* attamen religione quadam commotus *consumpserit* supra lineam adscripsit. — VII. 99 non sufficiebat critico nostro Elissam in aede Sychaei *noto quater ore citari*, sed in tali miraculo sacro quodam numero opus esse ratus eiecta voce *noto* scripsit *quater atque ter ore citari.* — v. 121 forma *coiere* non intellecta interpolator intrusit scripturam *cupiere.*

Ex his exemplis, quorum numerum facili opera quadruplo augere possumus, satis elucere putamus hunc librum inprimis in iis textus partibus, ubi deficit P, nonnisi magna cum cautione tractandum neque vetustati eius nimium tribuendum esse. certe Palmerus si hunc codicem accuratius cognitum habuisset, I. 40 non deceptus esset scriptura *dolon* ab auctore Electorum Etonensium enotata. locus ille ex omnium librorum praeter E consensu vulgo ita editur:

Rettulit et ferro Rhesumque Dolonaque caesos,
Utque sit hic somno proditus ille dolo.

pro *dolo* autem E solus praebet *dolon.* cum proximus pentameter item desinat in vocem *dolo*, iam magister ille Etonensis hac repetitione offensus cum *dolo* in v. 40 ortum putaret ex glossemate *Dolon* ad vocem *ille* adscripto, urguendam censebat codicis E scripturam, ut qui revera servasset glossema illud *dolon.* quaerens autem scripturam genuinam glossemate illo expulsam reponendum arbitratus, quod *somno* esset oppositum, v. 40 ita conformavit:

Utque sit hic somno proditus ille vigil.

quam coniecturam nuper Palmerus edidit minus felici quam alibi usus iudicio. languidum enim, ne dicam ridiculum est in nocturna illa expeditione accuratius describenda nil aliud commemorari, quam unum e hostibus dormientem, alterum vigilantem oppressum esse. accedit vero, quod oppositione illa (*somno* — *vigil*) gravissime urguentur res, quae nullius omnino sunt momenti. contra optime se habet lectio vulgata *ille dolo.* qua recepta describitur, qua ratione hostes illi oppressi sint. alter ipso somno interiit: facillimum enim interficere dormientem; alter vero, cum vigilaret et

se defendere posset, dolo opus erat, ut occideretur. de illo dolo conf. Hom. Il. X. 382 sqq. qua in sententiae conformatione iam nil est, quo offendamus. si vero quis cum magistro illo Etonensi et aliis haereat in eo, quod duo pentametri non plus unius versus spatio diremti in eandem desinant vocem, ne id quidem quicquam valet; eadem enim repetitio invenitur e. g. V. 82 et 84; similis I. 14 et 16 (*eram* — *erat*), VII. 58 et 60 (*aquis* — *aquas*) etc. quod si denique Palmerus coniecturam ab ipso probatam defendi putat Art. Am. II. 136, ubi narrat Ulixes Dolonem caesum esse *Haemonios dum v i g i l optat equos*, ibi *vigil* non ut nostro loco — si auctoris Electorum coniecturam probamus — oppositum est dormienti (*wach*) sed i. q. *invigilans* (*wachsam*). speculandi causa enim Dolon a Troianis emissus est. conf. Fast. IV. 490 *vigiles canes;* Met. III 396 *vigiles curae;* XII. 148 *vigil custodia* etc. illi loco igitur optime convenit *vigilem* dici Dolonem, nostro, ut vidimus, plane ineptum est. quamobrem retinenda lectio vulgata; *dolon* autem in cod. E haud dubie correctori debetur, qui cum hoc loco de Dolone ageretur, etiam *dolo* in *Dolon* mutandum putabat.

Restat, ut commemoremus in E plerumque medias omitti vocum syllabas, quod idem supra diximus sat frequenter observari in P. quae cum ita sint, talia compendia procul dubio iam in codice archetypo extabant: servata autem eorum vestigia in duobus illis libris, qui inter omnes aetate ad archetypum proxime accedunt. ex E autem loci huc pertinentes notandi sunt hi:

I. 62. *notata*] *nota*
II. 40. *altera*] *alta*
110. *datura*] *data*
III. 27. *Telamone*] *Temone*
49. *vidi*] *vi*
153. *impellere*] *implere*
IV. 47. *Eleleides*] *Eleideis*
65. *Theseusque*] *Theusque*
VI. 86. *addere*] *adre*
137. *scelerata*] *scerata*

VII. 50. *nisi*] *ni*
79. *fallere*] *falle.*

§. 21.

Maior pars eorum, quae modo de E disputata sunt, etiam de fragmento A valent, quod item codice G fortasse uno saeculo est vetustius. nam et hae schedae recensione illa saec. XI infectae sunt et praeterea aliis laborant interpolationibus, quarum in G nullum extat vestigium quaeque ex parte demum in s. XIII codicibus denuo emergunt. cum fragmentum A non plus duobus constet foliis, collationem eius ab Hageno benigne transmissam integram exhibebimus asterisco eos locos notantes, ubi A interpolationes communes habet cum libris codice G recentioribus.

XVIII. 149. *dat veniam*
* 154. *et illa*
156. *o penitus nostro*
* 163. *nam cur hoc vectis*
* 165. *metuis ne robora desint*
* 181. *sis tamen*
187. *cupio me persuadere*
190. *brachia ferre meis*
* 191. *observor*
* 192. *pectore frigus*
194. *placata* (idem P)
* 206. *erit*
* 208. *toto pectore scinde*
* 210. *immensas*

XIX. 155. *verbi et*
* 162. *non*
* 167. *est* om.
168. *id ego*
182. *fides* (idem V)
197. *maiore* (idem V)
201. *ignorant* (idem V)
202. *cudipe*
205. *ut conspecta est*
207. *miror nimium*
nota om.

208. *deciderint animo palia lapsa meo*
210. *insidiosa locis*
212. *victam*
213. *non tamen*
219. *si tamen*
220. *nobis*
221. *corinthiis*
223. *probaris*
224. *aquis*
228. *erit*.

Si ex Hageni silentio quid colligi licet, XVIII 151 et 152 A exhibet *sternuit*, quod adhuc solus praebebat P: verum cum scripserit vir doctus schedas pluribus locis plane oblitteratas esse, fortasse ne illa quidem iis relinquitur gloria.

§. 22.

Reliqui libri sunt ii, qui cum G toti fluxerunt ex recensione illa priori. ex quibus si unus vel alter ter vel quater a recensiti exemplaris scripturis liber est, ex eo nequaquam colligendum est talem codicem non totum manasse ex recensione illa: scripturae illae enim aut variis lectionibus ex alio codice repetitis aut ex grammatici cuiusdam coniectura ortae sunt.

Hi libri etiam iis locis, qui extra recensionem illam positi sunt, nonnisi rarissime exhibent digna, quae commemorentur, ut si fortasse ex melioris notae fluxerint archetypis, nunc quidem huius rei fere nulla supersint vestigia.

E codice v_2 notanda est lectio, quam praebet VI. 118: *me quoque tot tales inter habere potes*; quae comparata cum lectione codicis g_4: *me quoque tu tales* servasse videtur reliquias scripturae genuinae *me quoque dotales*, in quam Salmasius coniciendo inciderat; in P primaria scriptura erasa est; G habet *quod tales*, plurimi *res tales*, quod ediderunt Merkelius et Riesius; hic tamen praef. p. XIII Salmasii coniecturam probat.

Cod. g_1 VIII. 110 cum P commune vitium habet: *ignare*; XI. 56 cum P solus servat genuinam lectionem: *si moriar*.

Codd. λ v_4 g_2 c_2 unius eiusdemque libri sunt apographa, quod permultis locis his libris propriis evincitur velut II. 51. *simulare videntur;* 77. *excusas;* 83. *inquit eat;* 87. *tuis spumescant aequora remis;* 89. *tua Thracia tangit;* 97. *suprema discedens;* 99. *visuram;* 140. *transictam;* 145. *inscribereque* etc. (de λ demum inde ab ep. XIX. iudicare possum). qui ut in re critica exercenda viles sunt, ita maximi momenti propter argumenta metrica, quae in iis servata sunt. qua de re infra disputabitur.

Codicem c_1 putaverim editionis cuiusdam veteris esse apographum, cum nullas omnino correcturas, nullas glossas, nullas lectiones varias exhibeat. accedit quod supra vidimus in hoc libro a. 1479 scripto etiam alia inveniri opera ex editionibus et quidem primis descripta. cum tamen hic liber nec cum ϱ (1471) consentit, quamquam easdem habet et ep. XX et ep. Sapphus inscriptiones, nec cum ε_1 (1474) nec cum π (1477), fortasse ex altera illa fluxit editione principi, quam diximus 1471 prodiisse Bononiae. huius tamen nobis nullum suppetebat exemplar.

Cod. v_7 singulare habet distichon insiticium (conf. p. 78).

Codicis p_2 utemur inscriptione, cum de Heroidibus in libros partitis disputabimus.

Cod. f denique, qui exhibet ep. VIII, in ea plane consentit cum v_3.

§. 23.

Restat, ut de editionibus absolvamus quaestionem. his autem duo tantum codices repraesentantur: quorum ex uno fluxit ϱ sola, ex altero editiones reliquae omnes. liber ille, ex quo deducta est ϱ, fere integer hac editione exhibitus videtur. Ioannes Andreas enim, episcopus Aleriensis, qui eam curavit, cum eodem tempore ederet Ciceronis orationes, Virgilium, Silium Italicum, Cyprianum, Calpurnii elegias, Bibliam sacram, Nicolai glossas in Bibliam, in emendandis Nasonis carminibus nullam ponere poterat operam. si de recensiti exemplaris scripturis quaeris, ϱ tota ex eo pendet: nam qui contradicunt loci (XII. 9; XV. 125; XVI. 98), ad meram correctoris cuiusdam coniecturam referendi sunt.

praeterea ex locis §. 11 exhibitis satis adparet paucas esse saec. XIII—XV interpolationes, a quibus ϱ libera sit. ad quae si addideris in hac editione nihil inveniri singulare, quod dignum videri possit quod commemoretur ut purioris cuiusdam archetypi vestigium, omnia quae de ea commemoranda videbantur, dicta erunt.

In reliquis editionibus quotquot mihi innotuerunt (ε_1 ε_2 ε_3 ε_4 π β 1 2 3 4), Heroidum textus unius eiusdemque est archetypi, quod compluribus locis evincitur illis editionibus propriis ac fere singularibus:

II. 144. *electum*
III. 97. *flexit coniunx*
115. *et si quis quaerat*
128. *mixtaque mandatis oscula multa*
IV. 39. 40 positis post 42
ceteris permultis.


In communi illo archetypo editionum Venetarum, Parmensis, Vicentinae defuerunt II. 18. 19, XV. 39—142, XX. 13—248. hac condicione librum exhibent 1. 2. 3. 4; epistulae XX vv. 13—144 ex exemplari integro suppleti sunt in ε_1, vv. 13—248 in ε_2 ε_3 ε_4, XV. 39—142 denique una cum XX. 13—248 in π β[68]). codex ille a recensiti exemplaris scripturis his locis liber erat: IV. 1, VI. 65, VII. 116, 122, X. 16, 122, XII. 110, XV. 187, XVI. 38. sed non secus atque ϱ nusquam boni quicquam habuisse videtur, quod non aliis et maxime quidem antiquioribus libris servatum sit. ceterum commemorandum archetypum illum cum nullo ex nostris libris apertam habere similitudinem, pluribus vero locis cum v_1 consentire.

Huius archetypi textus tractatus est a Barnaba Celsano Vicentino in β, a Domitio Calderino (?) in π, a Valerio Superchio Pisaurensi in ε_3, ab Antonio Volsco in 1. 2, ab Hubertino Clerico Crescentinate in 3. 4 subiecto Volsci textu. hi editores, quorum eruditissimum fuisse putaverim Antonium Volscum, non universam textus recensionem instituerunt, sed paucis locis prout correctura opus esse

[68]) Conf. supra p. 37.

videbatur, scripturas correxerunt, plerumque nilnisi scribendi vitia emendaverunt.

Denique quemadmodum in singulis editionibus adornandis superiores pro fundamento sint adhibitae, si A significat communem editionum praeter ϱ omnium archetypum, hoc exponitur stemmate:



§. 24.

Ea pars quaestionis nostrae, quae ad criticas rationes valet constituendas, iam ad finem perducta est. restat, ut alia quaedam ad textus historiam pertinentia exponantur.

Docuimus supra, quantam et medii aevi et posteriorum saeculorum grammatici Heroidum textui tractando navarint operam: quamobrem iure in hoc libello locum concedi putamus disputationi de Heroidum a r g u m e n t i s m e t r i c i s, quae item operae illius ecficiunt particulam. extant haec argumenta in codd. λ v_4 g_2 c_2 adhuc inedita et iam semel atque iterum doluerunt viri docti nullam adhuc notitiam eorum in publicum pervenisse. iam adponamus textum eorum ad fidem codicum, quos nobis tractare licuit (v_4 g_2 c_2).

I.

Penelope veniat citius nunc poscit Ulixem:
Quam Naso laudat, castum quia duxit amorem.

II.

Demophoonta rogat veniat queritur quoque Phyllis:
Quam quia stulte amat † dixit vult carpere Naso.

III.

Briseis hortatur se sumpta pugnet Achilles:
Quam modo commendat Naso, quia casta remansit.

IV.

Hippolytum Phaedra rogat, ut potiatur amante:
Damnat Naso per hanc incestas ille puellas.

V.

Ut Paris Oenone faveat spernatque pudorem
Paelicis, ipsa rogat: quam laudat Naso pudicam.

VI.

Hypsipyle revocat periurum Iasona blande:
Naso damnat eum, quoniam periurus habetur.

VII.

Aenean Dido rogat, ut potiatur amante:
Hic inconstantes carpit Naso mulieres.

VIII.

Hermione rogat, ut sibi nunc succurrat Orestes:
Approbat hic castas multum Naso mulieres.

Epp. I—II argumenta in v_4 *madore deleta.* — I. 1 venit g_2 — II. 1 demo^{o}phonta (*corr. m. 2*) c_2 — phillis g_2 c_2 — III. 2 commendet v_4 — IV. 1 Ippolitum g_2 Ypolitum v_4 c_2 — phedra g_2 c_2 phedria v_4 — pociatur v_4 g_2 c_2 — 2 dampnat v_4 g_2 c_2 (*ubique*) — incastas g_2 — ipse c_2 — V. 1 enone g_2 cenone v_4 — 2 pelicis v_4 g_2 c_2 — VI. 1 Hypsiphile v_4 Hisiphole g_2 Hisiphile c_2 — VII. 1 Eneam v_4 g_2 c_2 — VIII. 1 horestes v_4 g_2 c_2 — „succurat“ nunc c_4.

IX.

Alciden rogat, ut licitó fungatur amore
Deianira suo: Naso sed damnat utrumque.

X.

Hic Ariadne dolet, Theseus quia prodidit ipsam:
    Quam nunc et Theseum carpere Naso cupit.

XI.

Aeolis Macareo dicit fera facta parentis
    Teque rogat tumulos et memor esse sui:
Hos damnat Naso, quoniam fecere nefanda.

XII.

Aesoniden Medea vocat, quia prodidit ipsam:
Hanc damnat Naso, quia pacta est turpiter ipsam.

XIII.

Laudamia rogat caveas tibi, Protesilae:
Quam multum Naso de casto laudat amore.

XIV.

Mittit Hypermestra Lynceo, quae sustinet ipsa:
† Quin possit rogat hanc Naso pietateque laudat.

XV.

Orat nunc Helenam Paris, ut sibi praestet amorem:
    Quem damnat Naso proditione sua.

XVI.

Arguit hic Helena Paridem, post se dat habendam:
Quam damnat Naso, quia iustum spernit amorem.

XVII.

Vult, cur non vadat, monstrare Leander ad Hero:
Arguit hunc Naso, subeat cur tanta pericla.

IX. 1 Alcidem v_4 g_2 c_2 — fugatur g_2 — X. 1 adriana v_4 g_2 c_2 perdidit g_2 — XI. 1 Eolis v_4 g_2 c_2 — machareu g_2 machereu v_4 c_2 — 2 nephanda v_4 g_2 c_2 — XII. 1 Esonidem v_4 g_2 c_2 — XIII. 1 laudomia v_4 g_2 c_2 — prothesilae g_2 c_2 — prothesiale v_4 — XIV. 1 ypermestra lino v_4 g_2 c_2 — 2 pietatē q̃ laudat g_2 — XV. 2 Quam v_4 g_2 c_2 — prodicione v_4 g_2 c_2 — XVII. 2 cum tanta v_4.

XVIII.

Naso Leandrum damnat amandum sic et ad Hero
Transeat hortatur: † notat hic, quia cernit amorem.

XIX.

Cydippen † gerat ut oravit Acontius orat:
Hunc damnat Naso, quoniam decepit amicam.

XX.

Narrat Cydippe, quae scripta recepit amantis:
Quam timidam carpit, timuit quia, Naso.

XVIII. 1 a hero g_2 — XIX. 1 Cidipem v_4 c_2 Ciclopem g_2 — aconcius v_4 g_2 c_2 — 2 decipit g_2 — XX. 1 cidippe g_2.

Quamquam nemo non videt haec argumenta miserrimi opus esse versificis, tamen quae accuratius tractentur, ea de causa digna sunt, quod et colligi potest ex iis, quam mira olim grammatici de Heroidum indole protulerint iudicia, et iis servatae videntur commentarii cuiusdam in Heroides reliquiae, cuius alia etiam extant vestigia. exhibet enim cod. v_5 copiosas argumentorum enarrationes prosaicas, quae apertam prae se ferunt cum argumentis metricis affinitatem. iam eas partes metricorum et codicis v_5 argumentorum, quae huc pertinent, inter se comparemus.

Argumenta metrica.	Argumenta codicis v_5.
I. 2. *Quam Naso laudat, castum quia duxit amorem.*	*Auctor vero intendit ipsam* (Penelopen) *et omnes consimiles a legitimo et casto amore commendare.*
II. 2. *Quam quia stulte amat dixit vult carpere Naso.*	*Intentio auctoris est ipsam* (Phyllida) *stulti amoris reprehendere.*
IV. 2. *Damnat Naso per hanc incestas ille puellas.*	*Intentio auctoris est ipsam* (Phaedram) *illiciti et nefandi sceleris arguere et omnes consimiles.*

Argumenta metrica.	Argumenta codicis v_5.
V. 2. ...... *quam laudat Naso pudicam.*	*Intentio auctoris est ipsam* (Oenonen) *a legitimo et casto amore commendare.*
VI. 2. *Naso damnat eum, quoniam periurus habetur.*	...... *alia intentio auctoris est Jasonem falsitatis et crudelitatis reprehendere, cum non obtinuerit promissa.*
VIII. 2. *Approbat hic castas multum Naso mulieres.*	*Intendit auctor eam* (Hermionen) *a legitimo et casto amore commendare.*
IX. 1 sq. *Alciden rogat, ut licito fungatur amore Deianira suo.*	*Materia huius epistulae est amor licitus.*
X. 2. *Quam nunc et Theseum carpere Naso cupit.*	*Intentio auctoris est ipsam* (Ariadnen) *stulti amoris reprehendere et Thesea falsitatis et crudelitatis immensae.*
XI. 3. *Hos damnat Naso, quoniam fecere nefanda.*	*Intentio auctoris est utrumque* (Canacen et Macareum) *nefandi amoris arguere.*
XII. 2. *Hanc damnat Naso, quia pacta est turpiter ipsam.*	*Intentio auctoris est eam* (Medeam) *reprehendere ab illicito et stulto amore.*
XIII. 2. *Quam multum Naso de casto laudat amore.*	*Intentio auctoris est ipsam* (Laudamiam) *liciti amoris commendare.*
XV. 2. *Quem damnat Naso proditione sua.*	*Intentio Ovidii est reprehendere viros aliorum uxores suadentes legitimum coniugium dimittere.*

Argumenta metrica.	Argumenta codicis v_5.
XVI. 1. 2. *Arguit hic Helena Paridem, post se dat habendam: Quam damnat Naso, quia iustum spernit amorem.*	.... *et primo ostendit* (Helena) *se duram illi et postea facilem. intentio Ovidii est reprehendere mulieres suos legitimos viros deserere volentes.*
XVII. 1. *Vult, cur non vadat, monstrare Leander ad Hero.*	*Mittit illi hanc epistolam* .... *ostendens se non posse ad eam venire propter maris tempestatem.*
2. *Arguit hunc Naso, subeat cur tanta pericla.*	.... *unde reprehenditur* (Leander), *quod pro muliebri amore tantum inibat periculum.*
XVIII. 2. ..... *sic et ad Hero transeat hortatur.*	.... *cuius* (epistulae) *intentio est ad Hero hortari Leandrum, amicum suum, ut quam citius potest veniret.*
XIX. 2. *Hunc damnat Naso, quoniam decepit amicam.*	*Intentio auctoris est reprehendere Acontium de fraude, quia, quod legitime hinc non poterat, fraude acquisivit.*

Vides igitur commune esse argumentis et metricis et prosaicis, ut eorum auctores demonstrare studuerint Nasonem in epistulis diversa amoris genera, castum scilicet vel licitum et incestum vel illicitum exemplis illustraturum fuisse. qua ex re priusquam aliquid colligatur, inspiciamus disputatiunculam, quae praemissa est Heroidibus in alio codice Vindobonensi (v_3) quamque iam exhibebimus integram:

Ovidio parentibus excrescente et scientia poetica sufficienter edocto placuit, ut sibi immortalitatem apud posteros possit relinquere, operam in editione librorum tradere. ideo itaque etsi primum nonnulla fecerat opuscula, utpote

